



1777, 8 XLIII. 8
8

PERICVLVM NOTIONIS
CIVITATIS IMPERII,
RATIONE RELIGIONIS
MIXTAE.

INAUGVRALIS SPECIMINIS LOCO

S V B

AVSPICIIS REGIIS

DECRETO ET AVCTORITATE ILLVSTRIS
ICTORVM ORDINIS

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS RITE CAPESSENDIS

AD DIEM XIX. IVNII MDCLXXVII.

DEFENDET

G O T T L I E B S C H M I D

MOENO-FRANCOFVRTENSIS.

GOETTINGAE

LITTERIS FRIDER. ANDR. ROSENVSCH.

17

TECHNICUM NOTIONUM
CIVITATIS IMPERII
RATIONE RELIGIONIS
MIXTAE

REVOCATIONE REFORMATIONIS
RE
AVERTIONIS REPTIS
DECRETIS ET AVERTIONIBUS
TERTIUM ORDINIS
SICUT IN VITROQUE TEE NIGRAE ET ALBE
AD EUM REPTIS REFORMATIONIS

DEPENSAT
GOTTFR. SCHMID
MORIS REFORMATIONIS

GOETTINGAE
DIEBENIS REPTIS REFORMATIONIS



PATRIBVS

PERILLVSTRI BV S. EXCELLENTISSIMIS. MAGNIFICIS. P
PRAENOBILISSIMIS. CONSVLTISSIMIS. PRVDENTISSIMIS.

DOMINIS,
PRAETORI
CONSVLIBVS.
SCABINIS.
SYNDICIS.
SENATORIBVS.

S. I. R. G.

CELEBRIS. ATQVE. LIBERAE.
REIPVBLICAE. FRANCOFVRTANAE.



PATRIAE. PATRIBVS.
FAVTOBIVS. SVIS. INDVLGENTISSIMIS.
HUNC.

LIBELLVM. SEQVE. SVAQVE. OMNIA.

DEVOTA. MENTE

D. D. D.

REPUBLICAE VICTORIAE
S. R. G.
SENATVS
SYNDICVS
SCABINVS
CONSVLIVS
P. R. I.



CONSPECTVS.

I) Pars generalis.

Occurrit per ciuitates gentium Europaeorum varia religionum mixtura *qualificata* siue *propria*, et *simplex* siue *impropria*. §. 1.

Quae hinc diuersimode in rempublicam operatur. §. 2.

Sed nullibi se magis exferit, quam in Germania, in qua tam ratione formulae imperii totius, quam territoriorum occurrit. §. 3.

Quando vero addit in illa mixtura *propria*, difficile dictu est. §. 4.

Ex quibusnam intelligi possit, regulis determinatur quibusdam. §. 5.

II) Pars specialis.

Antequam applicatio huius mixturae ad ciuitates imperii fit, praemonentur quaedam

1) de differentiis inter ciuitates imperii et municipia, §. 6. et

2) de generalioribus ciu. imp. e. gr. definitione, diuisionibus variis remissive tantum agitur. §. 7.

Distinctio vero ciuitatum imp. in *puras* et *mixtas*, vt eo magis intelligatur, ex historia reformationis, quae ad originem eius contulerunt, referenda exigit, §. 8.

inter quae *praesertim* respiciendum ad *Transactionem Passauensem*, et *Pacem religiosam* §. 9.

ex quibus distinctio haecce ciuitatum imp. in *puras* et *mixtas* fundatur. §. 10.

Quibus praemissis notio ipsa ciuitatis *purae* et *mixtae* vera exhibetur. §. 11.

Ad cuius partes singulas refertur, praesertim

1) ad eius *subiectum*, §. 12. et

2) *Obiectum*, occasione cuius §. 13.

inquiritur in terminum *introducere* §. 14. eiusque modum varium.

Probatur notio ciuitatis imp. *mixtae*

1) ex legibus imperii, et quidem

1) ex *pace religiosa*, quae vero rem non satis determinauit, §. 15.

quod grauamina desuper inter partem religionis vtrunque monstrant §. 16.

2) ex *pace Westphalica*, in qua distinguenda verba pacis, et tractatus, qui illam antecesserunt. §. 17.

Probationis postea commodioris ergo analysis Art. Vti §. 29. I. P. O. exhibetur, qui primum de ciuitat. imp. puris loquitur §. 18.

deinde de illis, quae inter antegrauatas relatae fuerit, siue puris, s. mixtis, quo loco simul inquiritur in verba pacis:

1) "*et inter has pestiores &c.*" vtrum se. catalogum ciuitat. mixtarum, an potius exempla tantum illorum exhibeant, §. 19.

et in verba

2) "*vel alias intuitu religionis ip^o Politicis,*" et quatenam sint eiusmodi politica §. 20.

Hac

Hac praemissa analysi, notio civitatis *mixtae* ipsa probatur.

I) Quoad *subiectum a)* ex verbis pacis, quae occurrunt α) in primis in Art. V. §. 29, quorum intuitu quaedam de subiecto curatius explicantur, §. 21.

attamen β) ex aliis quoque locis adiuuatur probatio, §. 22.

b) ex tractatibus pacis, aliisque actis publicis §. 23.

2) quoad *Obiectum*, seu exercitium religionis, quod ex legibus imperii requiritur publicum non solum, sed et *proprium*, §. 24.

quod illustratur actis inter utramque partem, quae adferuntur, §. 25.

Notio haecce probatur

II) assensu Doctorum, quorum plures allegantur; §. 26.

plures vero adhuc aliter de hac notione sentiunt struenda, alii enim definitionem ex Art. V. §. 29, verbis: "*non attento &c.*" desumunt §. 27.

alii vero definiunt ex eiusdem Art. V. §. 29, prout competat civitatibus imperii reformandi, nec ne; alique denique exercitium religionis in genere censent, fines inter utramque speciem regere §. 28.

Adduntur rei, et legis illustrandae ergo quaedam de diuisione civitatum imperii in *mixtas in specie*, et in illas, in quibus obtinet *paritas*, §. 29.

Quae haecenus generaliora dicta sunt, ad civitates applicantur quasdam, et quidem

I) ad *Frankfurtum*, ex cuius historia reformationis, §. 30.

et argumentis legalibus patet, quod merito ad pure evangelicas civitates imperii sit referendam §. 31.

II) ad *Luzkircham*, cuius quoque historia iam satis docet, eam esse pure evangelicam, §. 32.

quam adiuuant principia iuris, §. 33.

Epilogus, §. 34.





GENERALIORA QVAEDAM

DE

EFFECTV RELIGIONIS MIXTAE IN REMPUBLICAM.

§. I.

Mixtionem illam, quae intuitu religionis non in vna tantum Europae ciuitate occurrit, diuersos producere effectus, nullo negotio a quolibet harum rerum non plane ignaro, satis intelligitur. Membra enim singularum diuersae religionis ecclesiarum, mox admittuntur ad rempublicam gubernandam, mox vero, quae religioni dominanti addicta non sunt, omnia penitus excludi solent. Sic in Poloniae regno, cui euangelico, vel graeco religio, quam profitetur non obstat, quominus suscipere munus hoc illudue publicum, atque e. gr. imperii comitiis, iudiciisque interesse queat (a). Contra eadem licet adsit religio-

nis

(a) Haec iura Dissidentibus tempore nouissimo nempe in Comitibus regni a. 1768. et 1775. constitutione expressa, firmata sunt. CHRISTIANI Schickfale der Pohnischen Dissidenten von ihrem ersten Ursprung an bis auf jetzige Zeiten. 3ter Theil, (Hamburg 1770. 8.) p. 7-14.

A

nis mixtio in Belgio foederato (*b*), nihilominus ciues omnes, qui a religione *dominante* alieni sunt, a regenda arcentur re-publica. Quae cum ita sint, effectusque diuersitas in vno fere eodemque casu, sit ante oculos posita, causa quoque huius diuersitatis adfit, necesse est. Quam vt intelligas, nihil opus est, nisi vt in mentem reuoces nexum illum, quo quidem grauior nullus implicatioque esse potest, rempublicam inter et religionem, qui siue *qualificatam*, siue *simplicem* operatur mixtionem.

§. 2.

Qualificatam autem illam existimo mixtionem, ex qua simul fruitio iurium publicorum in republica pendet. Haec vero religionum mixtura tunc demum in ciuitate se exferit, si illis exercitium non tantum liberum est, atque illimitatum, sed etiam, qui alterutram exercet, omnibus iuribus, et honoribus, quorum in suo quisque ordine ciuis in republica capax est, frui potest et solet: quorum in numero mihi praesertim illi *Magistratus publici*, *status Imperii* vel *territorii* &c. referendi videntur. Religio contra, quae, licet libere exerceri possit, tamen quos habet cultores, iuribus illis honoribusque in republica non facit compotes, in ciuitate, in qua alioquin ciues plures paucioresue illius exercitio gaudent, *mixtionem religionis*, non nisi *simplicem*, potest efficere. Hanc definitionem cuilibet elucere mihi non persuadere non possum, cum non iusto altius petita, sed a causae ipsius natura suppeditata sit.

§. 3.

(*b*) conf. BENTHEM *Holländischer Schul- und Kirchenstaat* p. 134.
Ab anno 1583 demum ordines foederati conuenerunt, vt sacra reformationum essent religio dominans, id. p. 136.

§. 3.

Sed relictis, quae (§. 1.) ab exteris quaesiuimus, exemplis, propius iam ad Germaniam accedamus. Cur enim aliunde peteremus, quorum copiam nobis nostra praebet Patria? Est hic potissimum, quo occurrit illa mixtio, et quidem, vt cum celeberr. MOSERO (c) loquar, tam quoad *factum*, quam quoad *ius*: id quod aliis verbis expressum, eandem quam supra (§. 2.) in medium adduxi, distinctionem simplicis, et qualificatae inuoluere, suspicor. Posteriorem hanc et auctoritatis pondere, et vtilitatis vbertate longe superare priorem, quis est qui nesciat? Cum vis eius mirum in modum, quoad vniuersum imperium aequae, ac quoad territoria se exferit. Imperii enim formula, praeter singula Statuum imperii collegia mixta, inter membra numerat sua: Episcopatus mixtos (d), Capitula cathedralia (e) et collegiata: Ordines militares religiosos (f), aliaque forsan collegia: Circulos (g): Ciuitates imperii: circulos nobilitatis imperii

(c) *Religionsverfassung in Deutschland. B. I. c. 6. §. 2. p. 110.*

(d) praeter *Osnabrugensem* Episcopatum nullum huc referendum esse, cenfeo, licet I. P. O. plures denotare voluisse videatur, in Art. V. §. 16. verbis,

“in Episcopatibus, — in quibus *mixta* iura obtinent”

et §. 18.

“in *mixtis* vero Episcopatibus.”

Huc tamen referri possunt Episcopatus, in quibus capitulares tantum, vtrique sunt additi religioni, vt HENNIGES censuit in meditat. ad h. l.

(e) quo referunt e. gr. Capitulum Lubecense, et Capitulum Osnabrugense.

(f) vterque Ioanniticus, et Teutonicus huc referendus est.

(g) quo pertinet in sensu iuris publici Circulus *Suenicus*, *Franconicus*, *Rbenanus superior*, et *Westphalicus*.

perii immediatae, aliaque instituta immediata (*h*). Si territoria spectes, ibi eandem saepenumero diuersitatem in iis, quae quisque de religione Christiana palam sentit, animaduertes. Sunt hic illicuè Ordines prouinciales, sunt Collegia officialium ad varios fines ubique instituta: sed qui contenderit, in his nullos nisi iisdem religionis principiis imbutos homines admissos admittendosue, certe assereret, quod probare nunquam poterit. Iam et hoc notari in mixtura *Germaniae nostrae* meretur, eam non semper in vna eademque significatione accipi; cum mox Catholici Euangelicis, mox Lutherani Reformatis (*i*) commixti occurrant. Maioris tamen momenti, ob maiorem effectum est illa Catholicorum et Euangelicorum commixtio.

§. 4.

Quantacunque vero huius mixturae in genere consideratae sit euidetia, tantis tamen impeditam difficultatibus, tantisque dubiis implicitam sese offert toties, quoties quaestio, an in hoc illoue casu mixtio qualificata, siue *quoad ius*, vere *adfit*, oritur. Huius rei nullum vnquam tempus argumenta in scenam produxit grauiora, quam quod aetatem nostram attingit, ita vt nemini in publico tantisper versato vllum dubium superesse possit. Exhibet enim illud duplicem illumque grauitate sua illustrem casum, qui hic silentio praetereundus non est. Et quidem

(*h*) e. g. membra Castris *Fridbergensis*.

(*i*) Cuius mixtionis exemplum nobis esse potest Ciuitas Imp. Bremensis, in qua et Lutherani et Reformati religionis exercitio gaudent publico, et in gubernandam Ciuitatem concurrunt; quod tamen hodie Lutherani non participant regimen urbis, non ignoro.

dem, quia tempore remotior, primum nominamus illum, qui in Ciuitate patria sese obtulit (*k*); tum vero, qui, omnium nuperrime oculos ad se conuertebat, cum in visitando camerae Imperialis iudicio, ratione Collegii comitum *Franconici* et *Westphalici*, ab vtriusque religionis partibus quaestio grauiter mota occupataque fuerit (*l*). Ad hunc vero casum quod attinet, extra dubium quidem positum, collegium ratione religionis semper mixtum esse appellandum, cuius vel vnicum membrum fouet diuersa religionis principia, si nempe nihil, nisi *rei naturam* simplicem spectes. Attamen formulam imperii, quam Germania fortita est, ad mixturam religionis (sic vsus loquendi) nec paritatem in numero Collegii membrorum ad alia sacra euntium requirit, nec statuit contra, vt ob vnum alterumue diuersae religionis membrum illico efficiatur mixtio proprie talis (*m*). Qua enim quaeso ratione, alias circulus Bauariae ad circulos pure catholicos, sicut circulus Saxoniae inferioris ad eos, qui pure euangelici sunt, referri posset? Nam in vtroque reperiuntur mem-

(*k*) Anno 1765. Catholicus ad Collegium murariorum admitti postulauit, cui vero illud annum normalem 1624. opposuit, quo se. ipsi nullus interfuerit Catholicus. Ansam dedit haec lis scriptis, quorum Autores Francofurtum Ciuitatibus adnumerare mixtis ausi sunt. Eorum indicem exhibet Moser in *seiner Reichsständ. Reg. Verf.* p. 512. et 513.

(*l*) Solide status controuersiae refertur in libello; *Wahre Bewandnis der am 18ten May 1776. erfolgten Trennung der bisherigen Visitation des kaiserlichen und Reichs-Cammer-Gerichts. im Junius 1776.* (Göttingen 1776. 4.) §. 70. 138.

(*m*) *all. Wahre Bewandnis der am 8ten May 1776. erfolgten Trennung &c.* §. 76.

membra, licet pauca tantum, quae non aequè, ac maxima pars, de religione sentiunt. Nemini vero hanc ob rem vnquam, quod sciam, in mentem venit, denominationem horum circulo- rum, qua *puri* exhibentur, vt minus veram agnitamue, reuo- care in dubium.

§. 5.

Generaliora haec cum scopo meo sufficiant, nunc quomo- do se habeant ad ciuitates imperii, propius contemplaturus accedam: haec pauca tantum adhuc praemoniturus. Leges im- perii ante omnia, si quid hac de re sancierint, vt normam, re- spiciendas censeo; id quod, vel *generalem* regulam stabiliendo, qualem e. gr. Infr. Pac. Osn. de termino decretorio exhibet, vel rem *specialius* determinando factum, vti videre est in di- cta pace celeberr. ratione ciuitatum quarundam imperii (*n*), Tribunalium Imperii (*o*), aliorumque (*p*). Quia norma specia- li deficiente demum ad regulam generaliorem refugium patet. Si vero, et haec nos haud instructos dimittit, tum obseruantia legitime introducta, aut natura rei attendenda erit. Ex Ana- logia quoque rem, saepe tutius argumento a natura rei sumto, decidere licet.

(*n*) I. P. O. Art. V. §. 3. ad II. vsque.

(*o*) id. §. 53.

(*p*) id. §. 53.

TRACTATIO SPECIALIS
DE
NOTIONE CIVITATIS MIXTAE
IN SPECIE.

§. 6. Prius quaedam curationis ergo cognitionis, statim praemonda arbitror, quam ad notionem ciuitatis mixtae eruendam ad Imperii formulam esse relationem, non ignoro. Diuiduntur sc. in *Ciuitates Imperii*, seu eas, quae sessione, et voto in comitiis imp. gaudent, et in *municipia*, seu eas, quae sunt pars alius territorii. Quod posteriores attinet, in aliis, haud raro, vtriusque religionis exercitium est, in aliis cura vrbis administrandae ad ciues vtriusque religionis spectat. Praeter alia, *Hoexteram* (q), et *Duderstadium* rei illustrandae causa allegare iuuabit. In oppido posteriori Euangelici quidem exercitio religionis destituuntur omni, sed tamen officia publica, et ipsas dignitates participant senatorias (r). Quamuis inter conditionem
ciui-

(q) de qua HENNIGES in *Medit. ad Instr. P. O. sp. IV. ad art. V. §. 35.* illiusue verba: "*pri cum conciuibus iure habeantur*" notauit: igitur quod sententia commissariorum in causa oppidi *Hoexter* pro Catholicis lata fert,

"*dass vermöge des Friedens-Schlusses die Catholische zu den Burge- Meistern und Raths und auch Gilden und andern ihren Aemtern eben so wohl als die Lutherische zu zulassen, und wegen der Religion durchaus kein Unterschied zu machen sey.*"

(r) conf. HOFFMANN *Series rerum per Germaniam et in comitiis gestarum* &c. p. 203. n. 22.

ciuitatum imperii, et municipiorum ratione mixturae religionis addit quaedam similitudo, ob maiorem tamen inter utrasque urbium species diuersitatis rationem analogia a municipiis ad ciuitates imp. et vice versa raro utendum esse, contra asserta Anonymi (r) cuiusdam defendi posse, mihi persuadeo. Quantaunque enim municipiorum iura sint, superioritate tamen territoriali carent, qua destituta non pauca peragere impediuntur. Sed haec ulterius prosequi scopo meo non respondet; cum non nisi de ciuitatibus imperii hoc agere loco mecum constituerim.

§. 7.

Generaliora (t) de ciuitatibus imperii, e. gr. illarum diuisiones diuersi generis, hoc loco eo minus recensebo, quo saepius

(s) qui in Anhang zu Mosers Abhandlung von der Reichs-Städtischen Regiments-Verfassung; und deren zweiten Buch (Frankf. u. Leipzig 1773. 4.) p. 47. analogiam hance iusto plus effert dicens:

„wenn dieselbe (Religions-Rücksicht) zufolge des Anspruchs einer Friedens-Executions-Commission (vid. n. q. ad quod exemplum respicit „ille) in solchen Landstädten, welche sich mit denen Reichs-Städten in denen meisten Stücken vergleichen können, nicht Platz greiffet, so ist „auch keine Ursache, warum die Reichsstädte obabhängiger seyn sollten.“

(t) quae luculenter exposuit KNIPSCHILD in tractatu suo, de ciuitatum Imperialium iuribus, et priuilegiis. edit. nouiss. cura Schmansii (Argentor. 1740. f.) Viri cordati iam dudum optarunt, vt aliquis harum rerum peritus aliena et impertinentia huius libri quae illum haecenus, et mole, et pretio iusto maiorem reddiderunt, fecernat, iisque ommissis ea, quae senex omnium veneratione dignissimus I. I. Moser in tractatu suo von der Reichsständischen Regiments-Verfassung collegit, loco suo inferere suscipiat.

pius scriptores de ciuitatibus imperii hancce materiam repetierunt. Omnium illa tantum distinctio, quae a religione desumitur, ad instituti rationes pertinet. Quum vero origine illius non cognita ipsa non satis curate perspici possit, pace lectoris quaedam de hac re praemittam.

§. 8.

Inter primos reformationis sacrorum a B. Luthero sec. XVI. coeptae aedificatae incolae ciuitatum imperialium iure referuntur. Repurgationem enim hancce maximi momenti, quae in multis Germaniae territoriis vim insignem habuit, etiam ciues urbium immediatarum tam celerrime assentientes inuenisse, res quidem ignota non est, attamen, cui paulo maius affundatur lumen, mihi digna videtur. Hunc progressum celeriore vero libertati, qua ciues illarum urbium gaudent, et, quae procul dubio in territoriis tanta non est, attribuendum esse, ex modo, quo ciues a Senatu suo repurgationem sacrorum vehementer postularunt, conicere, nullus dubito, cum plura adsint exempla, quae haec luculenter comprobant. Quae cum scopus, quem intendendo, enumerari (u) prohibeat, ex eorum cumulo illud Patriae dilectissimae hoc loco tantum in mentem beneuoli lectoris reuocare

(u) Quorum ergo instar omnium SECKENDORF in *Historia Lutheranismi* hinc inde conferri meretur. De Republica Augustana in specie euoluatur von STETTEN *Geschichte der Reichs-Stadt Augsburg* 1. Th. p. 296. In qua sc. vrbe plebs propterea, quod ob Magistratus iussum reformatorem exeuntem vidit, turbam concitauit, nec prius sedari potuit, quam ille a Magistratu reuocatus est.

care liceat: infra pluribus, quae ex eius historia ad rem spectant, daturus. Inter eximios sacrorum repurgatorum progressus non solum plures Urbium ciues, sed integrae etiam Ciuitates eisdem adferunt, et sacra principiis Lutheri conformiter vi iuris reformandi (x) restauranda curarunt. Quid quod? Anno 1524. iam iam Statibus Imperii, Lutheri doctrinam amplectentibus, ciuitates imperii intermixtas cernimus, utpote quae una cum illis contra Edictum Wormatiense in Comitibus Norimbergensibus protestationem interposuerunt (y). Eandem postea rem in Comitibus 1526. Spirae coactis ab Euangelicis, et inter hos a ciuitatibus quibusdam repetitam fuisse, constat. Licet vero nulla ciuitas foederis principum hoc anno sancito accesserit (z), hoc tamen nullo fuit impedimento, quominus plures ciuitates sacra puriora amplecterentur; inter quas et illae, quae hodie extra dubium mixtae religionis sunt, referendae sunt. Sic inter focios foederis Smalcaldici occurrit Biberacum, quae ciuitas et in pace religiosa a. 1532. Norimbergae facta ab Euan-

(x) Ius reformandi iam ante Lutherum, a ciuitatibus hinc inde exercitum ex historia patet. Qui plura nosse cupit, adeat WALLACHERI, affinis mei carissimi Diss. de iure circa sacra ciuitatum imperii iam ante pacem religiosam. (Giesae 1767.)

(y) formulas binas protestationis a legato Electoris Saxoniae, et nomine comitum a Bernhardo Solmensi, et Georgio Wertheimensi interpositae detectas inuenies a BYDERO in der Sammlung ungedruckter Schriften. p. 26. Quod et ciuitates imperii in iisdem Comitibus Edictum Wormatiense non agnouerint, ex litteris nonnullis in Comitibus Spirensibus an. 1526 editis, praefertim aus der Reichsfürde Antwort auf das erste Antragen. §. zum vierten, quam exhibet LUTHERVS in oper. T. XVI. p. 249, apparet.

(z) Lutheri Opera T. XVI. p. 526.

gelicorum partibus stetit (a). Articulis Schmalcaldicis, nomine ciuitatis *Augustanae* Bonifacius Wolfhardt subscripsit, quum ea iam antea a. 1536 foederi Smalcaldico accesserit (b). Sed bellum Smalcaldicum, quum exitu caruerit feliciori, res Euangelicorum fortunam aduersam passa, facile cuiilibet pro ea dimicanti iniiciebat metum, ne conatus optimi successu destituerentur, atque omnia in pristinum reducerentur statum. Hoc plus reliquis focis fenserunt ciuitates imperii, cum regiminis formulam, qua haecenus erant gauisae, in pluribus immutauit victor tum Carolus V^{us}, iisque constitutionem in Comitibus *Augustanis* a. 1548. consilio quorundam theologorum conditam, cui nomen *Interim* attributum est, obseruandam iniunxit. Quo factum, vt in nonnullis ciuitatibus sacra Catholicorum restabilita, et his cura regiminis saltem prae aliis ciuibus huic religioni assentientibus demandata fuerit (c). Est tamen obseruandum, easdem iam ante Transactionem Passauiensem ciuitates passim doctrinam Euangelii puriorem reuocasse, quod probant ciuitatum Augustae Vindellicorum, et Biberaci exempla.

§. 9.

- (a) BEN. C. W. F. WALCH D. de liberis imperii ciuitatibus a pace religiosa nunquam exclusis. §. IV.
 (b) von STETTEN l. c. Th. I. p. 340 et 346.
 (c) Ciuitatibus pluribus praesertim Suenicis Carolus V^{us} Ordinationem electionis s. *Wahl-Ordnung* praescripsit. Eiusmodi formulam a. 1548. ab eo accepit Augusta Vindellicorum, quam inuenies in MOSERS *Reichsständischen Handbuch*. Th. I. p. 113.

§. 9.

In Transactione quidem illa, quae Passaviae confecta, ciuitatibus imperii intuitu religionis haud expresse quidquam prospectum, attamen clausula illi adiecta est:

„*doch daß die Reichsstädte bey ihren alten Privilegien und Freyheiten gelassen werden.*“

Magis, attamen non satis determinate, controuersiis desuper postea ortis id testantibus, in Pace religiosa, cui condendae, praeter ciuitates alias, — *Hagenouia, Augusta*, nomine vero ciuitatum *Leutkirchensis, Biberacensis, Dunkelspielanae*, Vlma *Euangelica* suffragia tulit, iuribus ciuitatum prospectum est (*d*). Necessitatem exercitii religionis vtriusque retinendi eo in statu, quo tempore pacis fuerit, sibi iniunctam ciuitates multae iam tunc temporis aegre tulerunt (*e*). In hac ergo pace, quod vnicum adhuc addere opus erit, *mixtura* religionis illa in ciuitatibus imperii, quae quidem iam antea extitit, a legibus agnita est. Plura de his, infra exponendi locus erit.

§. 10.

Sunt ergo aliae ciuitates imperii, in quibus *unica* tantum religio obtinet, aliae vero, in quibus *utraque* viget, in Germania recepta; id quod experientia legibus Imperii suffulta satis superque probatur. Quae conditio ciuitatum imperii ratione religionis diuersa, causam dedit distinctioni ciuitatum imperia-
lium

(*d*) in §pho eius 27, quem infra propius considerare operae pretium videtur.

(*e*) LEHMANN, Acta pacis religiosae. L. I. c. 17. p. 84.

lium in *puras*, et *mixtas*. Quasnam vero ciuitates ad puras, quasnam ad mixtas referas, ideo difficultate laborat, quum fines huius rei legibus Imperii nostri non sint perspicue definiti. Hinc Dissensus Doctorum pro diuersitate religionis diuersimode sentientium. Quem enim fugit cumulus scriptorum, quae ex lite in Patria mea dilectissima circa admissionem cuiusdam Catholici ad opificium (§. 4.), ortum suum duxerunt? quae quidem res mihi, qua cui Francofurtensi locum fecit, quod frequentius de illa meditarer, atque, cum in illa non sine deliciis versarer, mecum constituerem, speciminis pro honoribus obtinendis academicis ergo, de hac differere materia. Rem esse grauissimam, quam aggredi audeo, controuersis virorum doctorum nondum finitis edoctus, non ignoro. Longe vero absum, vt mihi aliquid tribuam in componendis hisce litibus, quod et nemo a me non nisi virium periculum faciente expectabit.

§. II.

Definitio Ciuitatis *purae* ea mihi adaequata videtur, quae exhibet talem, cuius *Senatus*, et *ciues vni tantum religioni anno 1624. iam introductae assentiant*. Pro diuersitate huius religionis Ciuitas erit vel *pure Catholica*, vel *pure Euangelica*. Contra *mixta* ea dicenda erit, cuius *Senatus et ciues utrique religioni anno 1624. iam introductae addidit sunt*. Ex iis, quae ad definitionem explicandam, probandamque proponam, elucebit, quatenus DD. definitiones concordent aliae, aliae vero discrepent.

Subiectum in definitione ciuitatis s. purae, siue mixtae posui *Senatum et Ciues*. Neutram enim partem sine altera rempublicam conficere, mihi persuasum est. In determinanda nempe religione ciuitatis cuiusdam non ad eam *partis*, id est, vel senatus solius, vel ciuium solorum, sed potius ad illam *corporis totius*, quod ex partibus, quas exposui, consistit, respiciendum est, cum et ipsis in terris, quibus vnus imperat, quanam sit religio territorii, a religione solius principis numquam abstrahi possit.

Quod tanto magis de senatu dicendum est, erga quem ciues non sunt in eadem relatione subditorum erga principem. Nec diu senatus sine ciuibus religionis suae consistere posset, quia his deficientibus, ponendum esset, inter ciues aliam obtinere religionem. Pari ratione se res habet, si religionem ciuium solam respicias, quia nec hi sine senatu corpus ciuitatis constituunt.

Subiecto ciuitatis imperii sic determinato, *Obiectum*, quod sine dubio religio est anno 1624. in Ciuitate a Magistratu et Ciuibus introducta propius nunc considerare ante omnia opus erit (f).

Quanam religio in ciuitate recipi possit, eo magis silentio praetereo, quia vel me non monente, constat, praeter religionem Catholicam, et Euangelicam in Imperio R. G. nullam

(f) Non opus esse eiusmodi introductione, defendit ANTONSCHMID in notis ad ALBINI D. de anno Decretorio 1624 opificia haud concernente, in Thef. Iur. Eccles. T. IV. p. 136.

lam pro recepta et publice approbata haberi. Maioris certe momenti disquisitione est illa, vtrum religio saltem vna, an vtraque sit introducta. Sed ante eius discussionem terminus *introducere* eo curatius determinandus erit, quo maior Catholicorum ac Evangelicorum circa significatum huius voculae occurrit dissensus. Negant Catholici introductionem de religione sua enunciarı posse, quum illa iam ab antiquissimis obtinuerit temporibus (g). Evangelici contra, et quidem iure vrgent, an non religio Catholica reformatione dimissa *reintroduci* potuerit, cuius rei non desunt varia exempla (h).

§. 14.

Introducere in Instrumento Pacis Osnabrugensis eam denotare religionis receptionem videtur, qua religioni eiusque confessoribus non exercitium tantum religionis, sed et iura ciuilia concessa sunt. Eiusmodi vero receptio *expresse* aequae, ac *tacite* fieri potest, et vtriusque quoque modi exempla non desunt, licet frequentiore esse tacitam negare nolum. Expressae receptionis, quam nullibi inueniri putat Anonymus Catholicus (i), exemplum occurrit Augustae Vindelicorum, cuius senatus et ciues Catholici cum Evangelicis transactionem 1584. mediantibus Commissariis Caesareis inierunt, qua vtrique religioni aequalis

(g) *Anhang zu Mosers Reichsständ. Regiments-Verfassung, und dessen 2ten Buch. p. 62.*

(h) quo spectat illud Ciuitatis Augustae Vindelicorum — Dünkelspulae &c.

(i) *Anhang zu Mosers Reichsständ. Verf. p. 61. vbi confundit prima religionis initia, et introductionem religionis.*

lis data est securitas (*k*). Licet enim hoc pactum confirmationem potius quam introductionem contineat nouam, nihilominus ad exempla expressae introductionis referre non dubito. *Cuinam* vero ius introducendae religionis in ciuitatibus competat, a determinatione subiecti, cui exercitium iuris reformandi competat, pendet.

Quum autem in ciuitatibus gubernandis mira occurrat regiminis formula, et alia magis Aristocratica, alia magis Democratica sit, pro hac diuersitate subiectum, a quo ius introducendae religionis pendet, varium esse potest. Ipsi conditores pacis Westph. in verbis Art. V. I. P. O. §. 29.

„A Magistratu et ciuibus iuxta morem et statuta cuiusque loci anno 1624. introducto,”

quibus de religionis exercitio agitur, ad solum factum respiciunt, vtrum videlicet exercitium religionis in anno decretorio a Magistratu et ciuibus introductum sit iuxta morem et statuta cuiusque loci. A *probatione* religionis introductae liberatur pars illa, quae possessionem, qua anno 1624. gauisa est, legitime demonstrat. Deficiente religionis exercitio publico eius affectae frustra prouocabunt ad eius introductionem. Namque aperte cauetur in §pho 29. Art. V, rationem eius, quod ciues diuersae religionis commorati sint in ciuitate, non esse habendam in aestimando religionis exercitio: cum a ciuium receptione

(*k*) v. STETTEN *Geschichte der Stadt Augspurg*, I Th. p. 673. Transactionem ipsam exhibet MOSER *im Reichsständischen Handbuch*, I Th. p. 134:

“*Vertrag des Raths mit einigen Bürgern, und Rathsfreunden im Jahr 1584.*”

ne alterius religionis non valeat argumentum ad introductionem eius religionis, quam profitentur.

§. 15.

Sed, quae exposui, argumentis ex legibus imperii, actisque publicis, et doctoribus celeberr. petitis probare suscipiam. Quoad leges imperii, si temporis ratio haberi debet, pax religiosa prima vicē aliquid ad hoc argumentum spectans disposuit (1), si clausulam illam iam supra (§. 10.) adductam transactionis Passaviaensis ciuitatum imperii gratia adiectam huc referre velis; sed quominus eam huc referas, hoc solum exigere videtur, quod ex illa non satis patet, vtrum ad religionis causam respexerit. Pax religiosa, quod maxime dolendum, rem nostram non ita determinauit, vt simul omnia dubia remoueret. Distinguit quidem inter ciuitates *vnus religionis*, et illas *vtriusque*:

(1) in §. 27.

„Nachdem aber in vielen Frey- und Reichstädten die beyde Religionen, nehmlich unsere alte Religion, und der Augspurgischen Confession-Verwandten Religion, ein Zeit hero im Gang u. Gebrauch gewesen, so sollen dieselbigen hinfubro auch also bleiben, und in denselbigen Städten gehalten werden, und derselben Frey- und Reichstädt-Bürger, und andere Einwohner Geißlichen und Weltslichen Stands, friedlich, und ruhig bey- und neben einander wohnen, und kein Theil des andern Religion, Kirchen-Gebräuch, oder Ceremonien, abzuthun, oder sich davon zu dringen, unterstehn, sondern jeder Theil den andern, laut dieses Friedens, bey solcher seiner Religion, Glauben, Kirchen-Gebräuchen, Ordnungen und Ceremonien, auch seiner Haab, und Gütern und allem andern, wie hieoben beyder Religion Reichstädt halben verordnet, und gesezt worden, ruhiglich und friedlich bleiben lassen.“

C.

*„in den die beyde Religionen nemlich die alte Religion,
und der Augspurgischen Confessions-Verwandten Religion
ein Zeithero in Gang und Gebrauch gewesen,“*

fed fines vtriusque regere omisit, nisi hoc eo fecisse velis, quum ad ea, quae §phis 15. et 16. (m) praecedentibus statibus imperii ceteris concessit, prouocet. Nimirum cum locis dictis dispositum sit, cuilibet imp. statui ea iura, quibus haecenus gaudius est, et in posterum relinquenda esse: concludi inde, saltem analogice, posse mihi videtur, si in ciuitate imperii quadam ciues alterutrius religionis haecenus in republica dirigenda concurrerint, hoc ius in futurum quoque illis saluum seruandum esse. Obstant tamen dubia, quae non ignoro, quominus haec interpretatio pro certa haberi possit.

§. 16.

Quae modo dixi, pacem religiosam statum religionis, et iurium inde in ciuitatibus imperii pendentium non satis determinasse, sequentis historia temporis magis comprobatur. Vtraque enim pars in sui fauorem pacis dispositionem interpretari operam dedit, et, prout opportune fieri potuit, res ipsas iuxta eandem ordinauit. Nata inde sunt grauamina, de quibus in comitiis im-

(m) sc. Spho 28. pax ratione iurium ciuitatum imp. prouocat ad Sphum 15. et 16. verbis

*„und allem andern, wie hieoben beyder Religion Reichsständ halben
verordnet und gesetzt worden.“*

In Spho 15. vero rem decidit intuitu Euangelicorum, in Spho 16. intuitu Catholicorum statuum.

imperii fere singulis, vti ex LEHMANNO (n) patet, actum fuit.

Mox lis mota est, cui in ciuitatibus ius competat reformandi: mox ciuitates a pacis religiosae beneficiis prorsus exclusas, Catholici defenderunt.

Sed quum neutra pars alteri cederet, omnia in dies in deterius abierunt. Nec pactis, vel transactionibus sua vis relicta est, si auxilio potentiorum religionis suae asecularum impune negligi potuerunt. Nullibi vero consilia Catholicorum magis prodita sunt, quam in reformatione anno 1628, et sequentibus in ciuitatibus imperii praesertim, in fauorem religionis catholicae reintroducendae, vel euangelicae penitus extirpandae studiis Iesuitarum suscepta. Qui cauillationum harum exemplum nosse cupit, addeat velim historiam Reipublicae *Augustae Vindelicorum* (o) dicti temporis.

§. 17.

Ne vero hance patriae historiam, cuius omnis pagina miseriarum materiam continet, relaturus iusto plus a via aberrem, ad pacem Westphalicam, basin et fundamentum formulae imperii praesentis propius accedo. In hac ineunda de ciuitatibus imperii multa acta fuisse, probant iam, quae *ILL. MOSERVS* ex *GODFREDI DE MEIERN* actis pacis Westphalicae in commodum lectorum proposuit (p). Pro instituti ratione seriem quidem tractatio-

(n) sc. in actis pacis religiosae.

(o) v. STETTÉN *Gesch. der Stadt Augspurg*. 2ter Th. p. 5. et multis seqq.

(p) in *des Teutschen Staatsrechts* 41. und 42stem Theil, et in *der Abb. von der Reichsständ. Reg. Verf.* 2tem Buch. 1stem Cap.

stationis chronologicæ referre prætermitto, sufficere rãtis loco congruo, quæ ad rem explicandam faciunt, proponere.

§. 18.

Antequam vero, quæ ex tractatibus pacis Westphalicæ exponendã sunt, aggrediar, ipsã dispositionem Articuli Vti §. 29. (q), quæ in hoc argumento omne momentum fert, cum ex ea ciuitatis

(q) Verba pro commodo lectoris inferenda curauit:

Liberæ Imperii Ciuitates, prout "omnes atque singulæ sub ap-
 ,,pellatione Statuum Imperii non tantum in Pace Religionis et
 ,,præsenti eiusdem declaratione, sed et alias vbique indubita-
 ,,te continentur, ita et ex illarum numero eae, in quibus vnica
 ,,tantum Religio Anno 1624. in vsu fuit, tam ratione iuris reforman-
 ,,di, quam aliorum casuum Religionem concernentium in territoriis
 ,,suis et respectu subditorum non minus ac intra muros et suburbia
 ,,idem cum reliquis Statibus Imperii superioribus ius habeant; adeo-
 ,,que de istis generaliter disposita et conuenta, de his quoque dicta et
 ,,intellecta sunt, non attento, quod in iis ciuitatibus, in quibus præ-
 ,,ter Aug. Confessionis exercitium nullum aliud a Magistratu et ciuibus
 ,,iuxta morem et statuta cuiusque loci, anno 1624. introductum fuit,
 ,,aliqui catholice Religionis addicti ciues commorentur, vel etiam in
 ,,aliquibus capitulis, Ecclesiis Collegiatis, Monasteriis et Coenobiis ibi-
 ,,dem sitis, immediate vel mediate imperio subiectis, inque eo statu,
 ,,qui fuit die prima Ian. Anno 1624. deinceps quoque, cum clero in-
 ,,tra prædictum terminum non introducto, et ciuibus Catholicis pro-
 ,,tempore ibi existentibus, tam actiue quam passiue omnino relinquen-
 ,,dis, Catholice Religionis exercitium vigeat. Ante omnia vero illae
 ,,Ciuitates Imperiales, quæ sine vni, sine vtrique Religionis addictæ
 ,,et inter has posteriores cum primis Augusta Vindelicorum, itemque
 ,,Dunckelspiela, Biberacum, Rauenspurghum et Kauffbeura) ab anno
 1624.

fis purae, et mixtae notio praecipue sit petenda, analytice pertractare iuuabit. Pax eum seruat in dispositione ordinem, vt primo loco de ciuitatibus puris agat, illisque ius reformandi eodem, quo ceteris imperii statibus concedat. Ante pacem Westphalicam enim saepius ius reformandi, inprimis ratione territoriorum suorum, ciuitatibus in dubium vocatum est. Quatuor tantum imperii ciuitatibus, Norimbergae sc., Ulmae, Argentorato, et Francofurto peculiari recessu, qui Paci Pragenfi a 1635. adnexus est, et *Diploma Pacis Pragenfis* vocatur, ius reformandi etiam extra muros vrbis a Ferdinando II. concessum fuit (r). Nec iuri reformandi obtare disponitur, si forte ciues

ali-

„1624. propter Religionem vel bona ecclesiastica ante, vel post Trans-
 „actionem Passauiensem, et insecutam Pacem Religiosam occupata et re-
 „formata, vel alias intuitu Religionis in Politicis quocunq; modo siue
 „extra, siue iudicialiter aggravatae sunt, in eum statum, in quo Ka-
 „lendis Ianuarii praedicti anni 1624. tam in sacris, quam in profanis
 „fuerunt, non minus ac reliqui Status Imperii superiores plenissime re-
 „ponantur, inque eo, absque vltiore turbatione perinde atque illae,
 „quae tum temporis adhuc possederunt, aut interea possessionem recu-
 „perarunt, vsque ad amicabilem religionum compositionem conseruen-
 „tur. Neutrique partium alteram de Religionis suae exercitio, Eccle-
 „siae ritibus et ceremoniis deturbare fas sit, sed ciues pacifice
 „et comiter inuicem cohabitent, liberumque Religionis suae et bono-
 „rum vsum, vltro citroque habeant; cassatis rerum iudicatorum et
 „transactorum, litispentiarum, aliisque §§. 2. et 9. enumeratis
 „exceptionibus: Saluis tamen iis, quae Politicorum ratione de Augu-
 „sta Vindelicorum, Dunkelspiela, Biberaco et Rauenspurgo dicto supe-
 „rius §. 12. disposita sunt.”

(r) Vti patet ex grauaminibus ciuitatum imperii a. 1641. comitiis im-

aliqui in ciuitate sine exercitio religionis publice introducto com-
morentur. *Publice* vero introducta est illa religio, quam *Senatus, et ciues introduxerunt* (s). Notatu dignum esse videtur, ci-
uitatibus imperii pure euangelicis tantum hanc adiectam esse
clausulam; quod vero exinde forsitan explicari potest, quum prin-
cipia religionis catholicae a tolerantia religionis alius magis quam
doctrina Euangelicorum, aliena sint.

Id tamen semper asseri potest in casu, quo in ciuitate pure
catholica adfuerint anno 1624. ciues euangelici sine religionis
exercitio proprio, eadem valere principia. Puritatem quoque
ciuitatis imperii non tollit exercitium religionis alterius, quod ad
alios quam ciues pertinet, e. gr. ad monasteria, collegia, ordi-
nes militares. Huiusmodi religio quidem *in ciuitate* existit, sed
tamen non est religio ipsius *ciuitatis* (t). Speciatim enumerantur
Capitula cathedralia, quorum exempla occurrunt Ratisbonae,
Spirae, Wormatiae: ecclesiae Collegiatae, quarum numero est
Francofurti ecclesia collegiata S. Bartholomaei, ecclesia collegia-
ta Wetzlariae &c.: Monasteria et Coenobia, quorum plura di-
uersi generis exstant Wormatiae, Francofurti, Vlmae &c: ad
eaque pax tacite collegia Canonissarum saecularium, e. g. Linda-
uiaae, Ratisbonae &c.: et commendaturas ordinum milit. relig. e. g.

VI-

perii oblati. Recessus particularis, vti refert MOSERVS, lucem nondum
vidit. *Teufches Staatsrecht. Tb. 40. p. 538.*

(s) secundum verba I. P. O. Art. V. §. 29.

“in quibus (ciuitatibus) praeter A. C. exercitium nullum aliud a Ma-
gistratu et ciuibus iuxta morem, et statuta cuiusque loci a. 1624.
introducendum fuit.”

(t) HENNIGES obseruante in meditat. all. spec. III. p. 441. n. c.

Ulmae, Norimbergae, Heilbronae retulisse videtur (u). Obscuritate non caret dictio illa:

“cum Clero intra praedictum terminum non introducto,” quam HENNIGES voci non attribuit (x) et de Clero post an. 1624. et ante annum 1648. introducto interpretatur; quamquam ea de re haesitet. Explicatio III. MOSERI mihi magis arridet, qui ex actis huius pacis sensum illum huic loco attribuit, Clerum a. 1624. introductum in ciuitate relinquendum; illum vero, qui demum post annum decretorium introductus sit, iuri reformandi ciuitatis iure subesse (y).

Relinquitur vero Clerus in statu a. 1624. activo, si iura, quae illi dicto anno competierunt, etiam in posterum salua et intacta relinquuntur; in statu contra passivo permanebit, si obligationes illius, quas ciuitati a. 1624. debebat, non minus saluae seruantur.

§. 19.

Post dispositionem de ciuitatibus, praesertim vnus religionis generaliore, pax de ciuitatibus illis, quae intuitu religionis, vel bonorum quomocunque inter antegratas relatae sunt, loquitur, et verbis tantum per parenthesin interiectis,

“et inter has posteriores cum primis *Augusta Vindelicorum*,
„itemque *Dunckelspiela, Biberacum, Rauenspurgum* et *Kauff-
beura &c.*”

recenset ciuitates, quas vtrique addictas religioni existimauit. Moueri hoc loco potest quaestio, vtrum ciuitates in §pho hoc enu-

mera-

(u) MOSER *Reichsständ. Reg. Verf.* p. 520.

(x) HENNIGES *Medit. all. Spec.* III. p. 452. n. y.

(y) MOSER *Reichsständ. Reg. Verf.* p. 520.

meratae tantum *exemplorum*, an *catalogi* instar habendae sint. Quamuis ipsemet non negauerim, prius ea ex ratione defendi posse, quum et *Hagenouia*, et *Dortmunda*, quae inter illas a conditoribus pacis non connumerantur, a multis non omni sine ratione pro mixtis habeantur, tamen posterius tam ex verbis legis, quam eius ratione, quae experientia probatur optimo iudice, probabilius mihi videtur. Prius Auctor catholicus (z) eo defendere tentat argumento: stultos fuisse transigentes, si praeter relatas nullam aliam in mente habuissent, et tamen verba:

“et inter has *cum primis* &c.”

in medium adhibuissent. Quod, quamquam speciem habere videatur, aliud tamen sentiendum, si verba proposita ex actis, uti oportet, interpretamur. Nimirum vocula: *cum primis*, non ad ciuitates omnes, quae ad mixtas referuntur, sed tantum ad ciuitates grauatas et maxime ad Augustam Vindelicorum spectat.

Hanc nempe Rempublicam prae omnibus ciuitatibus ratione religionis, ac eorum, quae ab illa in politicis pendent grauatae fuisse, ex historia cuilibet satis patet (z). Hinc nullo negotio apparet, cur status euangelici grauaminum illius ciuitatis tollendorum causa studia sua interposuerint: id quod acta publica comprobant. Anno 1646. mense Augusto Euangelici *Leu-gerici* desideria proposuerunt de ciuitatibus imperii ratione grauaminum suorum restituendis:

“In-

(z) in *Anhang zu Mosers Reichsstädt. Reg. Verf.* p. 73.

(a) qui rem curatius nosse cupit *STETTENII* opus *Geschichte der Stadt Augspurg* quod exteri Augustanis iure inuident, adeat.

„Insonderheit aber betreffend die Stadt Augspurg, weilm dar-
innen den Evangelischen, als dem weit größern Theil das ex-
ercitium religionis &c. in anno 1629. entzogen worden” —

Expositis ibi grauaminibus additur:

„Und weilien die in den Städten Dünkelsbühl, Kauffbeuern
und Biberach sich befindende evangelische Bürgerschaft nicht
allein wie obgedacht von Anno 1621. her — beschwert wer-
den, als seynd sie ebenmäßig in den Stand &c.” (b)

Mense Nouembr. catholici ipsi declarauerunt:

„Insonderheit aber die der Augspurgischen Confession zuge-
thane Bürgerschaft zu Augspurg betreffend” —

postea:

„Alsdann auch wegen der Städte Biberach, Dünkelspiel,
Kauffbeuern, &c.” (c)

In conferentia d. 6. Febr. anni 1647. Legati Caefaris cum Eu-
angelicis pro ciuitatibus imperii, praesertim verò Augusta Vin-
delicorum multa verba fecerunt. Inter alia Altenburgicus
Thumshirn:

„Es gehe den Evangelischen fast nichts so sehr zu Hertzen
als dieses” sc. res Euangelicorum Augustanorum. (d).

Mense

- (b) MEIERN Acta Pacis Westph. T. III. p. 335.
MOSER Teutsches Staatsvechr. T. XLI, p. 19.
(c) all. MEIERN, T. III. p. 440.
all. MOSER, p. 24.
(d) all. MEIERN, T. IV. p. 60.
MOSER I, c. p. 33.

D

Mense eodem Caesareani declararunt:
 „Insonderheit die der Augspurgischen Confession zugethane
 „Bürgerchaft zu Augspurg betreffend“ —

et postea:

„Alsdann auch wegen der Städte Biberach, Dünkelspiel und
 „Kauffbeuern.“ (e)

Eodem adhuc mense euangelici proiecto suo inferuerunt:

„ante omnia vero illae ciuitates imperiales, quae siue
 „vni, siue vtrique religioni addictae — inter has vero
 „Augusta Vindelicorum cum primis quoad Ecclesiastica, in
 „Politiciis vero, prout supra art. 2. dispositum.“ (f)

Quibus ex locis interpretationi antea propositae vim suam
 constare arbitror, vt perinde habendum sit, ac si dictum sit:

„ante omnes alias vero ciuitates Augusta Vindelicorum &c.“
 Adiuuantur ea vocula itemque, qua certe opus non fuisset, si
 vox cum primis iamiam ad omnes referenda ciuitates esset. Pro-
 bationi meae infernit etiam experientia. Facillime enim quili-
 bet edoceri potest, praeter ciuitates a pace expressè nominatas
 vix ac ne vix aliam in sensu iuris talem occurrere, licet Hage-
 novia, et Tremona huc referantur. Quod enim ciuitatem atti-
 net priorem, ipsi Catholici statim post pacem Euangelicis huius
 vrbs ciuibus ideo denegarunt restitutionem, quod illa non ad
 mixtas, sed ad pure catholicas, sit referenda. Nec in conuentu
 Deputationis Francofurtano decidi potuit; hodie vero de hac re
 quae-

(e) all. MEIERN, T. IV. p. 84.

MOSER l. c. p. 37.

(f) all. MEIERN, T. IV. p. 94.

MOSER l. c. p. 38.

quaestio, conditione illius mutata, penitus cessat. Quoad posteriorem vero sc. *Tremonam*, hoc tantum notandum est, catholicos quidem restitutionem catholicorum *Tremonae* ciuium in Ecclesiasticis, et Politicis ad annum 1624. vrssisse (g), praefertim ratione senatus cum tot catholicis, quot a. 1624. horum honorum participes fuerunt, communicandi; anno quoque 1650. id consecuti sunt catholici, vt res haec Electori Coloniensi, et comiti Oldenburgico committeretur, sed quum nihil de hac commissione in publicum apparuerit, aliquid in fauorem catholicorum effectum esse non videtur. In catalogo quidem restituendorum a. 1654. confecto catholici *Tremonenses* iterum leguntur:

„Catholische zu Dortmund wider die Augspurgische Confessions-Verwandte daselbsthen beschweren sich wegen verwidrigter iurium Magistratus, wie auch in Ecclesiasticis ihnen zugefügte Beeinträchtigung.“ (h)

Sed hodie inter omnes constat, Magistratum huius ciuitatis integrum religioni addictum esse euangelicae, et ciuitatem ipsam merito ad puras referri euangelicas (i). Ex quo statu conici cenfeo, catholicos a desideriis suis, quae, si fundamentum etiam leuiori non caruissent, more suo certe non remississent, abstinuissent. Quas amplius catholici huc referunt ciuitates, in sensu vulgari, siue improprio tantum mixtas esse, facile proba-

(g) MOSER *Teutsches Staatsrecht*. T. XLI. p. 203.

(h) MOSER l. c. p. 204.

(i) eiusdem *Reichsständ. Reg. Verf.* p. 537.

ri possit. De Republica *Francofurtensi*, Patria mea carissima, et *Leutkirchensi*, quam vtramque huc quoque referunt nonnulli, infra propius paululum agere constitui. Sed nunc in viam redeo, et in artic. *Vti Spho* 29. illustrando pergam.

§. 20.

Ciuitatibus scilicet siue vnius, siue vtriusque religionis, grauatæ pax nostra restitutionem religionis, et intuitu huius in Politicis ad Calendarum Ianuarii anni 1624. statum indulget.

Politica vero respectum ad religionem habere, seu ab hac pendere tunc dicuntur, si cum Ecclesiasticis connexa sunt, vel religionem directe, aut indirecte concernunt (*k*). Quum vero ex relatione illa ciuitatum duplici ad imperium (*l*), et ad formulam (*m*) suam internam *Politica* ipsa sint duplicis generis, nec lex distinguat, vel alterutram eorum speciem excludat, iure statui videtur, restitutionem in Politicis, quæ a religione pendet, vtriusque generis pacem indulsisse (*n*). Ad *Politica* quidem spectare, quatenus hæc nexum ciuitatum cum imperio concernant, concedunt catholici; sed intuitu formulæ internæ negant,

(*k*) G. D. HOFFMANN de Anno decretorio 1624. an, et quatenus ad *Politica* spectet. §. 9.

(*l*) e. gr. ratione voti in comitiis, concursus ad Deputationes.

(*m*) e. gr. intuitu officiorum senatoriorum, aliorumque publicorum munerum.

(*n*) fallit ergo ALBINI in Diff. de anno decretorio 1624. officia haud concernente. c. 3. §. 7. si grauamina ciuitatum imperii tantum ea, quæ harum cum imperio nexum, non vero illum inter senatum et ciues hic spectare defendit.

gant, quod pax hoc loco de ciuitatibus tantum qua statibus imperii, ideoque de nexu eius cum imperio tantum loquatur (o). Attentiori lectione §. 29. sola haec fatis refutatur assertio. De nexu enim ciuitatum ad imperium solo in eo non agi, verba:

„Neutrique partium alteram — deturbare fas fit, sed ciues pacifice, et comiter inuicem cohabitent”

demonstrant. Immo parum sibi constant catholici id afferentes, quum in causa *Kauffburenſi* (p) contrarium defenderint. Nempe in ciuitate hac ad normam pacis Westphalicae commissarii subdelegati ad paritatem religionis in senatu a catholicis instanter postulatam non attenderunt, in quo scilicet se grauatos existimabant, dum Senatus spectet ad Politica, quae a religione pendeant. Sed subdelegati non eo ex fundamento denegarunt, quod paritas senatus non spectet ad religionem, hoc enim facile concesserunt, sed ideo, quia anno decretorio, ad cuius folium normam restitutio fieri debuit, paritas in ciuitate *Kauffburenſi* non adfuerit, nec norma illarum ciuitatum quatuor *Augustae Vindelicorum, Biberaci, Dunkelspielae, et Rauensburgi*, ceu specialis ad *Kauffburam* iure applicari potuit. Addit tandem pax in paragrapho 29. clausulam ratione iurium quatuor ciuitatum dictorum, quae vero argumentum meum, in quo de notione ciuitatis imp. mixtae in genere sollicitus sum, non concernit.

§. 21.

(o) Observationes iuris publici germanici de ciuitatum imperii iuribus Ecclesiasticis, et Politicis eo spectantibus ex tractatibus Westphalicae de-promtae: (Francof. 1766. 8.) Obs. I. §. 9. 22. 23. 37.

(p) de qua plura confer. HENNIGES in fine Spec. III. Medit. ad I. P. O.

Explicatione verborum legis peracta, quam ideo praemit-
tendam esse duxi, ne postea rem ab ovo repetere opus sit, ad
probationem definitionis ciuitatis mixtae per partes suas accedo.
Subiectum illius Senatum, et ciues simul sumtos conficere su-
pra (§. 13.) defendi. Quamquam verba ipsius pacis id ipsum
confirmant: quod mox propius ostendam; eadem tamen non
extra omnem dubitationem posita esse videntur. Hunc defe-
ctum acta illa publica, quae vel pacem Westphalicam praeces-
serunt, quo referuntur Tractatus Osnabrugenses, vel illam suble-
cuta sunt, vt acta comitialia, aliaque, ita suplent, vt de men-
te Transigentium illustrium satis superque constet. Prae aliis
argumentis sane quidem illa ex verbis legum desumpta attentio-
nem merentur, licet methodi melioris ergo ordinem chronologi-
cum praefere condat. Diuersis locis pax de ciuitatibus prae-
cipit, alibi magis directo, alibi vero incidenter tantum et occa-
sione alius rei, vel negotii. Dispositiones, quae directo de illis
constituunt, ante reliquas attendendae sunt, nec tamen reli-
quae negligendae, quum rei explicandae haud parum proficiant,
quod exemplum ciuitatum ipsum lectori comprobabit. Art. Vtum
I. P. O. §phum 29. de ciuitatibus agere, ne monere quidem opus
est: ex eoque huc praecipue spectant verba:

“in quibus (ciuitatibus) praeter Augustanae Confessio-
nis exercitium nullum aliud a *Magistratu et ciuibus* iu-
xta morem, et Statuta cuiusque loci a. 1624. introdu-
ctum fuit.”

Ad

Ad quem locum, licet supra iam (§pho 13.) quaedam admonere non omiserim; tamen explicationem adhuc postulat eo curationem, quo magis ex illo assertionem meam probari posse, duco. Disponit quidem pax, uti iam supra (§pho 19.) monui, de ciuitatibus imperialibus pure euangelicis, sed ob paritatem rationis non solum ad ciuitates pure catholicas, sed et mixtas extendi potest. Determinat tam subiectum, cui ius introducendae religionis competat, verbis:

“a Magistratu et ciuibus”

quam modum introductionis verbis:

“iuxta morem et statuta cuiusque loci.”

Nunquam ergo magistratus solus hoc iure gaudet, nisi uoculae coniunctivae et sensus adscribatur insolitus: nec conditio ciuitatum imperii eiusmodi, ius magistratui exclusiuum concedi patitur. (q).

Concurrunt ciues semper in exercitio huius iuris, sed pro formulae diuersitate diuerso modo. Si nempe haec magis Aristot-

(q) Moser in Diss. de pactis et priuilegiis circa religionem §. 32. negat, Magistratum solum, et sine ciuibus in consilium adhibitis religionem introducere posse nouam, quod 1) ciues iure ex anno normali quacesito, ne se. alia introducatur praeter suam religionem, gaudeant; 2) Magistratus ciuitatum imperii tantum administratores iurium uniuerso corpori competentium sint, quibus contra hoc ipsum uti nefas. Postea uero uir celeberr. mentem mutasse uidetur in *T. Staats-R.* T. XLII. p. 20, quum dari ciuitates imperii, in quibus exercitium regalium penes Magistratum solum esse defenderit. Attamen nouiori tempore in *der Röchtsstätt. Reg. Verf.* p. 330. confiteri cogitur, vix ac ne uix Magistratum eiusmodi negotia grauiora in seipsis et inconsultis ciuibus, vel eorum representantibus peragere possit.

stocratica sit, per Senatores ex ordine electos Plebeio (r); si magis Democratica, per tribunos, siue collegia, quae ciues representant, nisi hi omnes sigillatim concurrant, quod interdum fit. Concurfus vero ciuium vel obseruantia, quam Transigentes sub *moribus* intellexisse videntur, vel legibus fundamentalibus inter Senatum et ciues, quae in lege nostra non satis congrue *statuta* vocantur, stabilitus esse potest.

§. 22.

Hisc propius ad ciuitates imp. mixtas applicatis defendi posse arbitror, in illis et magistratum, et ciues religioni addictos vtrique esse debere. Dubium forsan lectori oriri possit, me hoc ipso supponere ante introductionem adfuisse Magistratus vtriusque religionis, sed hoc sine praediuicio concedi posse censeo. Origines eius rei ita euenisse arbitror: Reformatione in ciuitate coepta inter alios eius adficientes fuisse quoque Senatores, quos ob principia religionis a Senatu excludere par visum non est; vel ex ciuibus purioribus sacris addictis nonnullos in Senatum electos esse. Inter varios vero conatus, quibus pars Catholica Euangelicam vel vice versa ob religionem excludere tentauit, vel actu exclusit, pars minor sibi, suisque securitatem quaerere non praetermisit, eaque res pactis inter vtramque partem faciendis locum fecit. Interdum vtraque pars factis e. gr. in electione Senatorum, quum semper in defuncti locum alius eiusdem religionis adoptatus sit, sibi inuicem iura mutua concessit.

Hanc

(r) Ciuitas certe nulla magis Aristocratiam quam Norimberga sapit, et tamen senatores ad sunt *plebeii*.

Hanc rem, si scopus huius libelli admitteret, ex historia (r) exemplis comprobaturus essem. Asserta mea §plus 49. et 50. Art. Vti I. P. O. confirmare videtur. Nimirum postquam §. 48. iurisdictione Episcoporum catholicorum in euangelicos suspenfa, §. 49. vero in ciuitatibus *mixtae religionis* illis in ciues catholicos referuata est, pax §pho 50. pergit:

„VTRIVSQVE RELIGIONIS MAGISTRATVS feuerē et rigorose
 „prohibeat, ne quisquam publice priuatimue concionan-
 „do, docendo, disputando, scribendo, consulendo Trans-
 „actionem Passauiensem, Pacem religiosam, vel hanc in-
 „primis siue declarationem, siue transactionem vsquam
 „impugnet, dubiam faciat, aut assertiones contrarias in-
 „de deducere conetur.“

Ex hoc loco quilibet facillime coniciet, supposuisse pacis Conditores, et Magistratum in ciuitatibus mixtis *utrique* additum esse religioni. HENNIGES (t) Magistratum non *inferiorem*, sed status imperii sub voce *Magistratus* latere, iure defendit. Sub statibus imperii vero intelliguntur quoque ciuitates imperii, *praecipue* vero h. l. Magistratus ciuitatum mixtarum, quod illis probare opus non est, qui magnas non ignorant controuersias, quas odium religionis in ciuitatibus imperii inter religionis diuersae confessores produxit. Iam a. 1559. inter grauamina Euangelicorum in Comitibus Ratisbonae prolata occurrit et illud:

“Zu-

(s) Historia Reformationis ciuitatis *Tremonae* huc merito referri poterit. MOSER *Staats-Recht*. P. XLI. p. 192. et seqq.

(r) ad Art. V. §. 50. sp. V. p. 730. II. a.

„Zudem da an solchen Orten (sc. in ciuitatib. imp.) die christliche Religion von den Gemeinden mit einhelligem und einträchtigem Rath, und Zuthun aus christlichem Eifer begehret und gesucht, daß die etwen durch sonder ausbrachte Commentationes, und selbst erdichtete Auslegungen des Religionsfriedens mit der That abgehalten würden.“ (u)

Haec grauamina vero non cessarunt, sed ad pacem Westph. vsque perdurarunt. Hoc, si opus esset, actis probari posset publicis, sed ob rationem temporis vnicum adhuc addere liceat locum. In conuentu sc. pacificationis Osnabrug. collegium principum collegio ciuitatum imperii votum communicauit suum, ad quod ciuitates, quid ipsis consilii videretur, monebant. Inter haec monita occurrit ad grauamen VI. monitum (sub nro 35.):

„Gefährliche (Assertiones), als daß er (pax religiosa) ein bloßes temporal Werk, und abgedrungene Tolerantz sey, welche diejenige, so darwider protestiren, nicht binde, und quoad Lutheranos strictissime zu verstehen.“ (x)

Menſe Ian. an. 1646. Euangelici inter grauamina referunt nro. Vto, scripta vehementiora illa:

„BVRCHARDI Autonomiam, et Compositionem pacis Dillingensium.“ (y)

§. 23.

(u) MOSER Staats-Recht. P. XL. p. 530.

(x) MEIERN Acta pacis Westph. T. II. p. 107.

(y) Id. T. II. p. 529

Argumentis his ex dispositione legis expressa defumtis le-
ctorem partibus non deditum, conuictum credo. Quum vero lex
occasione, et praefertim iis, quae ante illius perfectionem in-
ter partes acta fuere, non parum illustrari possit, ex *actis pacis*
Westphalicae, quae huc spectant, nunc prolaturus sum. Initio
pacificationis partes verbis pacis religiosae, quoad ciuitatum re-
stitutionem mixtarum inhaerunt, sed postea rem paulatim cu-
ratius determinandam curarunt. Euangelici mense Augusto a.
1646. inter ciuitates mixtas referebant eas:

„in welchen beyder der evangelischen, und catholischen Re-
ligion exercitium unter der Bürgerschaft üblich gewe-
sen &c.“ (z)

Ad hoc Catholici Mense Octobr. e. a. *obscurius* responderunt:

„hingegen in denjenigen Städten, da selbiger Zeit die Augs-
purgische Confession nicht allein in Uebung gewesen &c.“ (a)

Ulterius determinauit *Saluus* notionem ciuitatis mixtae in pro-
iecto suo m. Nou. e. a. Legatis Caesaris exhibito:

„in iis ciuitatibus imperialibus, in quibus vtriusque tam ca-
tholicae religionis, quam Augustanae confessionis, exercitia —
sive in vni iisdemque templis alternatim, siue in diuer-
sis et cuilibet propriis, viquerunt &c.“ (b)

In

(z) MEIERN Acta Pacis Westph. T. III. p. 335. MOSER *Staats-Recht*,
T. XII. p. 17.

(a) MEIERN, T. III. p. 361. MOSER l. c. p. 19.

(b) MEIERN, T. III. p. 430. MOSER l. c. p. 22.

In quod catholici m. Nou. e. a. confenserunt verbis fere iisdem, idiomate tamen patrio expressis (c).

A. 1646. m. Mart. *Volmarus* Legatus Imperatoris in notionem hanc a Legatis ciuitatum imperii datam, consensit. Verba huius Articuli sunt:

„in mixtis denique ciuitatibus imperii, in quibus tam Magistratus, quam ciues partim catholicae religioni, partim Augustanae confessioni additi sunt, — vtriusque religionis publica exercitia iuxta statum anni 1624. illibata semper maneant.” (d)

Et *Saluus* in annotationibus (e) suis ad proiectum Caesaris notionem hanc intactam reliquit. Mense Apr. e. a. declarationi vltiori Caesareani inseruerunt:

„In iis denique ciuitatibus imperialibus, in quibus tam Magistratus, quam ciues partim catholicae Religioni, partim Augustanae Confessioni additi sunt &c.” (f)

Sed vt eo melius differentiae proiecti Legatorum Caesaris, et illius Euangelicorum intelligantur, loci variantes ab Euangelicis m. Apr. e. a. notati sunt; ex quibus referre sufficiat sequentes: „§. in mixtis” loco verbi *mixtis* posuerunt (Caesareani) *iis*, et loco verbi *imperii* posuerunt *imperialibus* (g). Euangelici mense eodem in declaratione sua circa compositionem grauaminum

no-

(c) Id. T. III. p. 440. MOSER l. c. p. 25.

(d) Id. T. IV. p. 169. MOSER l. c. p. 42.

(e) MEIERN, T. IV. p. 178.

(f) Id. T. IV. p. 158. MOSER l. c. p. 44.

(g) Id. T. IV. p. 192. MOSER l. c. p. 45.

notioni ciuitatis mixtae antea exhibitae verbis iisdem inhaeserunt (*h*).

Sed, quod consideratu dignissimum est, mense Maio Legati Caesareani in declaratione sua ratione grauaminum Articulum XI. immutarunt, et verba:

“in quibus tam Magistratus, quam ciues”

omiserunt (*i*). Quod vero adhuc magis notari meretur, nec Euangelicos in notis ad exhibitum Legatorum Caesaris hanc immutationem notabilem animaduertisse (*k*). Putant quidam, qui a partibus catholicorum stant, hunc locum ab Imperatoris Legatis *motu proprio mutatum fuisse*, quod vero ita se non habere, mox fati apparebit. Mutatio sc. haecce potius sollicitudini ciuium Augustanorum euangelicorum iusto plus maiori attribui debet, vti docet historia huius ciuitatis.

Nempe proiectum Caesaraneorum supra memoratum tali fructum esse modo censuerunt illi, qui sibi in futurum damna inferre posset maxima, quum, stante hac dispositione, ciuitatem suam a restitutione, ciuitatibus mixtis concedenda, exclusam fore animaduertent. Aduersus verba:

“in quibus tam Magistratus, quam ciues”

id mouerant dubium, hanc determinationem facile ad ciuitates illas restringi posse, quarum Magistratus *tempore pacis* vtrique fuerit additus religioni, quo ipso sibi magnum praeiudicium imminere intelligebant. Voti quoque sui tandem compotes facti, quum

(*h*) MEYERN T. IV. p. 198. MOSER l. c. p. 45.

(*i*) Id. T. IV. p. 541.

(*k*) Id. T. IV. p. 547.

quum *Sp̄hus* hicce, quem sibi adeo onerosum putabant, a *Legatis* euangelicis mutatus, et d. 27. April. *Caesareanis* propofitus ab his approbatus fuerit (1). *Confensuerunt* ergo et *Catholici*, et *Euangelici* in notionem ciuitatis mixtae, in qua *tam Magistratus, quam ciues* vtrique additi religioni sunt, vti ex locis allatis patet. Nec obstat, quod in pace *Westphalica* haec determinatio, non verbis expressis proponatur, quum de causa huius omissionis vera, quae non transigentibus, sed ciuibus *Augustanis* originem debet, satis constet. Quod de notione ciuitatis mixtae *catholici* ita fenserint, etiam ex eo patet, quum alia occasione adhuc saepius naturam ciuitatis mixtae in mixtura *Senatus* et *ciuium* posuerint. Probat id eorum exhibitum m. *Septembr.* a. 1646. ad art. XI.:

“*In der Stadt Hagenau* (quam *Euangelici* mixtam asseruerunt) *seynd Magistratus et ciues catholici, begehren also kein Lutherisch exercitium.*” (m)

In *Conuentu Deputationis Francofurtano* 1656. occasione controuersiae de statu religionis ciuitatis *Hagenouiae* clarius adhuc *catholici* defenderunt, ciuitatem hanc non esse mixtam, ea addita ratione, ciues *protestantes* anno 1624. in *communione Senatus* vi pacti ita non fuisse, vt *neccessario eligi ex eorum numero quidam debuerint* (n). In *Comitiis* quoque imperii a. 1654. *Imperator* quaestionem:

“Wo

(1) von *STETTEN*, *Geschichte der Stadt Augspurg*. Tb. 2. p. 777. et seq. qui rem ex archiuo patrio optime refert.

(m) *MEIERN*, T. III. p. 361.

(n) *HENNIGES* *Medit.* ad *Instr. Caesar. Succ.* sp. III. p. 463. et seq.

„Wo in einer Reichsstadt die gantze Gemeinde, und Bürger-
 „erschaft den Rath mit eingefchlossen, getheilte Religion
 „ist, und jeder Theil einen öffentlichen Kirchgang und Ue-
 „bung seiner Religion vor dem Jahr 1624. hergebracht und
 „dessen zu dieser Zeit in Possessione vel quasi gewesen ist, ob
 „in solchem Stand &c.“

Statibus imperii proponendam curavit (*). Licet vero hi de illa non
 deliberarint, tamen de mente Imperatoris, ratione determinatio-
 nis ciuitatis mixtae, satis constat, cum huic propositioni insit de-
 terminatio, tum 1) *subiecti*, quod constituit ciuitatem mixtam:

„Gemeinde und Bürgerchaft den Rath mit eingefchlof-
 „fen“

tum 2) *obiecti*, quod est:

„öffentlicher Kirchgang und Uebung der Religion.“

Vtrumque supra ad naturam ciuitatis mixtae me retulisse,
 monere superfedeo.

§. 24.

Subiecto ciuitatis mixtae legibus imperii, actisque publicis
 stabilito, ad probationem obiecti progredi ratio instituti exigit.
 Confistit sc. in exercitio religionis vtriusque a. 1624. auctoritate pu-
 blica *introducto*. Vix enim membra religionis, quae caret ex-
 ercizio, ad clauum reipublicae ius perfectum praetendere pote-
 runt, quum illis ne exercitium quidem religionis suae, quod ta-
 men minoris est momenti, et facilius inde adquiri potest, com-
 petat. Nec quisquam litem super hoc asserto intuitu ciuium to-
 leratorum, quibus praeter deuotionem domesticam nihil iuris
 est,

(*) MOSER *T. Staatsrech.* T. XLI. p. 68.

est, mihi mouebit. Gaudent eiusmodi ciues quidem iuribus, vt cum celeberr. BARTHELIO (o) loquar, *privatis*, non vero *publicis*, inter quae omnino referuntur munera publica. Sin exercitio quidem gaudent religionis, sed tantum *privato*, quaestio haec redditur intricatior. Sed tamen ob limites huius exercitii satis angustos, et ex mente autorum pacis Westph. hosce quoque a regimine ciuitatis excludendos esse, duco (p). Pacis religiosae dispositio (q) de hac quidem non ita determinate constituit, vt decidi possit, vtrum exercitium requiratur *publicum*, an sufficiat *privatum*. Vtramque vero partem religionis rem in grauaminibus suis post pacem religiosam exhibitis curatius definiisse, ex actis publicis erui potest. Itaque, quid in Pace Westphalica condenda et paullo antea contrahentes tractarint, exponere studebo.

§. 25.

- (o) in Diss. de libertate exercitii religionis ex lege imperii, in Opusc. T. III. p. 703; vbi ipse fatetur, „in ciuitatibus imperii, in quibus alterutra dumtaxat praeuulet, vix alii admittuntur, quam qui dominantis additi sunt.”
- (p) contrarium defendit Autor *Observationum iuris publ. eccles. de iuribus ciu. imper.* p. 32. Afirmat vero STRYDEN in *Rechtlichen Bed.* B. III. p. 356.
- (q) in §. 27. „Nachdem aber in vielen Frey- und Reichsstädten die beyde Religionen, nemlich unsere alte Religion, und der Augspurgischen Confession Verwandten Religion, ciu. Zeithero in Gang und Gebrauch gewesen &c.”

§. 25.

Iam a. 1630. euangelici catholicis quaedam de ciuitatibus imperii mixtis, quae huc spectant, proposuerunt (r). Catholici quoque in responsione sua idem sensisse videntur (s). Anno 1641. catholici eo se grauatos querebantur, quod ipsi in ciuitatibus imperii, in quibus *floret utriusque religionis exercitium*, a dignitatibus Senatoriis, aliisque excluderentur (t). A. 1646. m. Noembr. *Saluus* concepto suo inferuit:

„*cumprimis in iis ciuitatibus imperialibus, in quibus utriusque tam catholicae religionis, quam Augustanae confessionis exercitia ante annum 1624. atque etiam in eo, siue in vnis iisdemque templis alternatim, siue in diuersis et cuique parti propriis viguerunt.*“ (u)

Tem-

(r) MOSERS Staatsrecht T. XL. p. 535. n. 22:

„*hätten sich denn in einer Reichsstadt zeit aufgerichteten Religionsfriedens beyder Religionen öffentliche exercitia befunden, so sollte es fortan unverrückte dabey bleiben.*“

(s) MOSER l. c. p. 536. n. 21:

„*Wo auch in den Frey- und Reichslütten beyde Religionen zur Zeit des aufgerichteten Religionsfriedens in öffentlichem Gang und Gebrauch gewesen, darin sollen auch der Rath und andere Aemter von beyderley Religionsverwandten besetzt werden.*“

(t) „*Nicht unbillig ist zu beklagen, das in den Reichslütten, in welchen Zeit des aufgerichteten Religionsfriedens die alte Catholische Religion, und die Augspurgische Confession zugleich in öffentlichem exercitio, nicht weniger die bürgerliche Raths, und andere Aemter mit beyderley Religionsverwandten besetzt gewesen, — das doch solches von dem wenigern Theil gehalten werde &c.*“

MOSER l. c. p. 544.

(u) MEIERN Acta pacis Westph. T. III. p. 430. et 440. vbi catholicorum

F

rum

Templa vero supponere exercitium religionis publicum, nec me monente satis constat (x). Quod magis adhuc de *ecclesiis parochialibus* (y) asseri posse videtur. De his Legati Imperatoris eo se declararunt:

„in ciuitatibus, in quibus praeter Augustanae Confessionionis exercitium nullum in *ecclesias parochiales* admissum „est.” (z)

Licet hic locus de ciuitatibus loquatur tantum pure *euangelicis*, ad mixtas tamen facile applicari potest, si negatiua propositio in affirmatiuam conuertatur. Plura, quae assertionem probare possent meam, adferre opus esse non cenfeo, dum ob loca allegata lectores iam consentientes habiturum esse, spero.

Illud tamen obseruandum est, non quodcunque exercitium religionis publicum, quod intra fines tantum ciuitatis existit, sufficere, vt haec mixta sit, alias plures huc referendae essent ciuitates; saepe enim in illis capitula cathedralia, collegiatae, aliaeque instituta ecclesiastica exercitio gaudent religionis suae publico, inter cuius effectus et ille numeratur, quod quilibet, etiamsi in nullo vel officii, vel simili nexu erga eiusmodi corpus existat, cultu diuino publice celebrando interesse possit (a). Non ergo in tali

„sum responsio conformis occurrit. MOSER l. c. T. XLI. p. 21. et 23.

(x) confer. Perillustr. G. L. BOERBERI, Praeceptoris acque ac Patroni semper colendissimi *Principia iuris canonici*, edit. 3. §. 591. et 593.

(y) Id. l. c. §. 143.

(z) MEIERN l. c. T. IV. p. 124. MOSER *Staatsr.* T. XLI. p. 40.

(a) I. I. MOSER *Grundsätze vom öffentlichen, Privat und Haus-Gottesdienst, in der Sammlung von Abhandlungen aus dem Teutschen Staats-Recht, 2 Th. n. 1, et Landshobeit im Geiſtlichen, B. 4. c. I. §. 9.*

tali casu eiusmodi incolae, melioris conditionis exteris erunt. Requiritur potius ad ciuitatem mixtam enunciandam *exercitium religionis* ciuibus *proprium*, quod sc. principaliter ciuibus *ex concessione* publica, et *iure proprio* competit (b). Exerit se exercitium huiusmodi quam maxime per templa eorumque pertinetias, reditus, curam fabricae, et obligationem reparationis &c. Non vero hisce contrariatur, *proprium exercitium religionis*, mox in templis vtrique parti communibus, quo ipso adest simultaneum, mox vero in peculiaribus occurrere, quia in vtroque casu ciuibus in exercitium religionis ius competit *proprium*. Prioris exempla *Augustae, Biberaci, aliisque locis* plura inueniuntur.

§. 26.

Notio ciuitatis mixtae a me suppeditata, et ex legibus imperii, actisque publicis haftenus probata, deductaque, iam a nonnullis iuris publici doctoribus celeberrimis defensa est, quod ideo admonendum esse consilii censeo, ne quibusdam nouaturus videar. Inter illos non sine animi voluptate virum Illustr. de SELCHOW, Praeceptorem ac Patronum nunquam non animo gratissimo venerandum (c) referre possum. Praeter illum, qui
solus

(b) SCHWEDER Diff. de pacis religiosae constantia, et perpetuitate §. 16. insert. CORTREII corpori iuris publici. T. III. p. 411. BVCKISCHE Observat. ad Instr. pacis, et quidem obs. 76. ad Art. V.

(c) Ita enim Vir celeberr. in Elementis iuris publici T. I. Sect. IX. §. 160. "Intuitu religionis ciuitates imperii sunt catholicae, euangelicae, vel mixtae. Quaestio omnino inde decidenda est, vtrum Magistratus anno 1624. religioni siue euangelicae, siue catholicae, siue vtrique addictus fuerit."

folus sufficeret, mecum sentiunt *CORTREIVS* (d), *SCHÜTZIVS* (e), *BADER* (f), *DECKHERR*, *VITRIARIIVS* (g) aliique.

§. 27.

Quotquot vero sint, qui mecum in ciuitate mixta definienda sentiant, tamen illorum, qui rem aliter determinandam putant, numero multum superantur. Vt vero eo melius ostendere queam, cur illis assentiar, horum sententiam exponere opus erit.

Inter doctores euangelicos definitione usitator nulla est illa, qua ciuitatem illam dicunt *mixtam*, in qua religionis exercitium *utriusque a Magistratu et ciuibus iuxta morem, et statuta introductum fuit* (h). Conuenit haec definitio cum mea in *obiecto*, seu ex-

er-

(d) qui rem ita determinat in *Consultat. forens. L. I. c. 45. n. 2. in corp. iur. publ. T. III. p. 296*:

„ciuitates vel vnus religionis, vel *mixtae*, in quibus iura Magistratus penes vtriusque confessores resident.“

(e) in *Manual. pacific. Qu. 17. verbis*:

„ciuitatibus mixtis, vbi e. gr. *tota communitas comprehenso Magistratu in duas diuersas abire religiones. confr. CORTREIVS ad SCHÜTZIVM* l. c. in *corp. iuris publici T. III. p. 341. qu. 17.*

(f) in *Analyt. Art. V. §. 48. et 49. I. P. O.*

(g) *PFEFFINGERI Vitriarius illustratus T. IV. L. III. Tit. 19. §. 37. p. 40. PFEFFINGER* vero locum sine notis praeteriit.

(h) Prae aliis nominandus *Perill. PÜTTERVS*, cuius institutioni solidissimae ac patrocinio summo multa me debere, dum viuam, profitebor, in *Instr. iur. publ. ed. 3. §. 105. Celebr. MOSERVS in T. Staatsr. P. XLII. p. 8. in Reichsständ. Reg. Verf. 2 B. 3 Cap. §. 2 STRVBEN Neben Stunden Tb. VI. Abb. 46. p. 536. und rechtliche Bedenken Tb. III. obs. 101. p. 342. HENNIGES Meditat. ad Instr. Caesar. Suec. Sp.*

exercitio religionis auctoritate publica introducto, praeterquam quod id quoque desiderauerim, vt *Senatus* ex anno decretorio *utrique religioni* sit additus. Quo opus non esse sibi persuadent (i), dum verba sc. Art. V. §. 29. I. P. O.

“in iis ciuitatibus, in quibus praeter Augustanae Confessionis exercitium nullum aliud a Magistratu et ciuibus iuxta morem et statuta cuiusque loci anno 1624. introductum fuit” definitionem ciuitatis pure euangelicae continere censent, ex qua illam ciuitatis mixtae nullo negotio struere pergunt. Sed

Sp. III. ad Art. V. §. 29. ad verba:

“non attento, quod in iis ciuitatibus &c.

(i) Sic HENNIGES l. c. ad Art. V. §. 29. verba:

“aliqui catholicae religioni addicti”

sed tamen alio loco sc. eod. Art. et Spho ad verba: “*Vnica tantum religio*” notauit: “*Vnica tantum religio in eiusmodi ciuitate iure intelligitur in vsu esse, quando Magistratus, et maxima ciuium pars vnus sine religionis &c.*” MOSER in *T. Staatsr.* T. XLII. p. 9. *Reichsähr.* *Reg. Verf. B. H. cap. 2. p. 517.* qui tamen l. c. p. 554. *mixtas* definit: “*wo beyderley Religionsverwandte mit im RATH SITZEN, aber in ungleicher Anzahl; illas vero, in quibus paritas obtinet (paritätische) wo beyderley Religionsverwandte an den RATHSSTELLEN, und übrigen Städt-Aemter gleichen Antheil haben.*” Obseruaui quoque, hunc virum celeberr. in pertractatione status religionis singularum ciuitatum imperii semper, cuiusnam religioni *Senatus* et ciues addicti sint, non vero *introductionem* exercitii religionis, notasse. Ipsa inelyta *Facultas Goettingensis* iuridica patriam meam carissimam pro pure euangelica ob *Senatum A. C.* additum iudicauit, apud Perill. PÜTTERVM in *amerisefenen Rechtsfällen* P. IV. p. 939.

verba allegata non definitionem, sed potius descriptionem continere mihi videntur. Nec enim introductionem solam rem conficere ideo puto, quia et in territoriis princeps religioni ab illa territorii dominante diuersae religionis exercitium publicum vi iuris reformandi concedere potest, et territorium nihilominus purum manet in sensu iuris, quod et in ciuitatibus imperii statuere nil impedit. Hoc largiter concedo, ciuitatem imperii puram ideo in mixtam non commutari, si ex *libero arbitrio* (*k*) cuius alterius religionis in Senatum recipiatur, quum secundum leges imperii consortes vtriusque religionis omnium capaces habeantur iurium tam publicorum, quam priuatorum. Et quod in territoriis aequae ac in ciuitatibus imperii actu ad officia vocantur publica, experientia quotidie docet. Sed de casu, quo quid ex mera facultate sine obligatione fit, sermo non est. Potius circa id versatur quaestio, num ciues, quibus a. 1624. nulli fuerunt Senatores, religionis suae consortes, iure dignitates hasce, et similes postulare possint. Quam ob I. P. O. (*l*) negandam esse, mihi persuadeo. Qui enim iure ex hac norma *quaestio* destitutus est, frustra alia opponet argumenta, e. g. a capacitate, facultate

(*k*) v. KREITMAYR ad Codic. ciu. Bauar. p. 2212.

(*l*) Art. V. §. 29.

„ciuitates, quae — propter religionem — vel alias intuitu religionis in *Politicis* quocunque modo — aggrauatae sunt, in eum statum, in quo Kalendis Ian. praedicti anni 1624. tam in sacris, quam in profanis fuerunt, — plenissime reponantur.

cultate (*m*), eligibilitate &c. desumpta, quum pax, vt supra iam monui, actualem possessionem requirat (*n*).

§. 28.

Alii (*o*) ciuitates illas imperii dicunt *mixtas, in quibus cessat ius reformandi*. Sed obscuritate laborare mihi ideo videtur haecce definitio, quia sic quoque illae ciuitates imperii, in quibus ex termino decretorio occurrunt, vel ciues religionis suae exercitio destituti, vel fundationes, aliaque instituta ecclesiastica, contra quae omnia ius reformandi cessat, essent mixtae, quod vero dispositioni Art. V. §. 29: "*non attento &c.*" e diametro contrariatur. Nec definitioni (*p*) ciuitatis *mixtae* illi, vi cuius ea huc referenda est, *in qua anno 1624. vtraque viguit religio*, assentiri possum. *Puram* euangelicam tunc demum adesse volunt, si *integro anno*

1624.

- (*m*) quam attendendam defendit ION. KIRCHHEIM *im Versuch eines Reichs-städtischen Entscheidungs-Ziel zwischen Catholischen, und Protestanten zur Erläuterung des V Art. 29. 2. und 13. §. des Osnabrücker Friedens-Schlusses* (Mainz 1764. 8.) §. 44. cui respondit STRYBEN *Nebenst. P. VI. Abb. 46.*
- (*n*) ipse HENNIGES distinguit inter *possessionem eligibilitatis, et eligendi necessitatem in Meditar. Spec. III. p. m. 507. et postea p. 509. terminum decretorium, et intuitu iurium cuiuslibet parti competentium vnicum et solum esse fundamentum confitetur.*
- (*o*) KNIPSCHILD de *ciuitatum imperialium iuribus ac privilegiis* L. II. c. 3. n. 50. BUCRISCH *cit. obsf. 69. p. 206.*
- (*p*) quam allegat KNIPSCHILD l. c. L. II. c. 3. n. 73. et supponere videntur Catholici quidam e. gr. Autor libelli: *Anhang zu Herrn I. I. v. Moser Abb. von der Reichs. Reg. Verf. und deren zweiten Buch. passim, all. KIRCHHEIM praefertim §. 35. 36.*

1624. exercitium Augustanae Confessionis in ciuitate imperiali viguerat (q).

Mixtas esse eiusmodi ciuitates in sensu *improprio* concedere non immoror, sed tamen *in sensu iuris publici* tales non sunt. Non enim in illa definitione satis determinatur exercitium religionis, vtrum requiratur proprium, an sufficiat quodcumque, vel tertio competens. Anonymus, procul dubio catholicus (r), intentionem suam ex Art. Vti §pho 49. ea ratione probare contendit, quum hoc loco Episcopis in ciues catholicos iurisdictio ex obseruantia anni 1624, quam adfuisse interpretatur, si Episcopi non requisito quoque Magistratu iurisditionem in ciues exercuerint, reseruata sit. Ex quo id concludit, dari ciuitates mixtas, quarum Magistratus *integer* anno decretorio euangelicae addictus fuerit religioni. Sed quo modo hic sensus dispositioni allegatae sine detorsione iniqua attribui possit, me non intelligere, lubenter fateor. Loquitur sc. §. 48. Art. Vti de suspensione iurisdictionis Episcoporum aduersus euangelicos status eorumque subditos. In §pho 49. vero haec suspensio speciatim ad ciuitates *mixtae* religionis extenditur, ne sc. ciues euangelici in posterum amplius ab *ordinariis*, vt ante haec saepe euenit (e. gr. Augustae Vindelicorum,) pacis Westph. tempora, in exercitio religionis suae deturbarentur. Simul tamen, quod negare nolo, id cau-

(q) quod defenditur in Oberuat, iuris publ. eccles. Germanici alt. §. 14. n. 4. p. 21. P. ANTON SCHMIDT ad Albini D. de anno decretorio 1624. officia *hand* concernente, in *Thesaur. Iur. Eccles.* T. IV. p. 135. ubi simul Perill. PÜTTERI sententiam, quam exhibet in *seinen auserlesenen Rechtsfällen* supra iam citatis, refutare conatus est.

(r) All. *Autor des Anhangs &c.* p. 21.

cautum est, ne catholici ciues contra obseruantiam anni 1624
iurisdictioni Magistratus euangelici, qui forte maiorem constituit
partem, vti e. gr. *Kauffbeurae*, subiiciatur.

§. 30.

Licet *diuisio* ciuitatum mixtarum in sensu iuris in *mixtas in specie*, et illas in quibus *paritas* obtinet, cum scopo meo non directo cohaereat, tamen, quia non parum ad pacem ipsam illustrandam afferre, simul dubia remouere potest, quaedam de eadem addere placet. Sunt nempe ciuitates MIXTAE IN SPECIE, in quibus religionis pars ciuium vtriusque regimen, aliaque officia publica, sed INAEQUALI iure participat; PARES (sc. *paritätische*) contra, in quibus regimen penes religionis confessores vtriusque AEQUALI iure est. Ad ciuitates posterioris generis procul dubio pertinent quatuor, *Augusta Vindelicorum*, *Biberacum*, *Dünkelspula*, *Rauensburgum*. Prioris indolis ciuitas, non nisi *Kauffbeura* iure haberi potest. De quatuor dictis ciuitatibus pax Westphalica mox in Art. V. §. 3. ad 11. vsque specialiora determinat, quae postea ciues harum ciuitatum coram Commissariis Caesareis *peculiaribus recessibus* (s) partim confirmarunt, partim curatius adhuc stabilienda curarunt. Etiam *Kauffbeurae* hoc obtigit, quod pars religionis vtraque iura sua recessu executionis curatius, quod deficiente pacis dispositione specialiori intuitu huius vrbis eo magis

ne-

(s) Recessus hosce inuenies apud all. KNIPSCHILD sub singulis titulis, qui de hisce ciuitatibus agunt, et in MOSER *Reichsstäd. Handbuch. B. I. p. 154. 197. 396. B. 2. P. 501.*

neceffe fuit, determinanda curauerit (t). Mixture ibi inaequalis vario modo fe exferit. Sic inter Senatores *duodecim*, tantum *quatuor*, religioni catholicae additi; reliqui euangelici inueniuntur. Praeter hanc plures hic referri ciuitates e. gr. *Francofurtum*, *Leutkircham*, supra iam monui, fed ratione fufficienti id fieri poffe, femper negabo. Olim quidem *Hagenouiam* ad illas effe numerandas Euangelici in conuentu Deputationis *Francofurtens* a. 1656. acriter defenderunt, fed catholici aeque vehementer negarunt (§. 23.) (u). A quibusdam et *Tremona* huc refertur, fed absque ratione. Commissio enim Caesarea post pacem Westphalicam data nil in fauorem catholicorum (x) efficere potuit, quod inde patet, quum indici restituendorum a. 1654. catholici *Tremonenses* inserti (§. 20.) occurrunt. Hodie *Senatus*, et *maxima* ciuium pars Augustanae Confessione additi sunt (y). Maioris vero est momenti huius quaestionis nuperrime intuitu *Patriae* meae dilectissimae, et ciuitatis *Leutkirchae* motae responsio. Quarum intuitu ideo rem paullo curatius illustrare, operae pretium esse cenfeo.

§. 30.

(t) qui exstat in *MOSEK* *all. Reichst. Handb. B. 2. p. 39.*

(u) Rem ampliori narratione refert *HENNINGES* saepe all. in fine spec. III. Medit.

(x) Pace enim Westph. sancita catholici *Tremonae* ciues, petierunt a congressu pacificatorum restitutionem, et reductionem status anni 1624. in ecclesiasticis, et politicis:

„sonderlich Bestellung des Magistrats daselbst mit so vielen Catholischen
„Personen, als sich selbiges Jahres daselbst befunden.“

Huius causae cognoscendae ergo delegati sunt *Electo* *Colonienfis*, et *Comes Oldenburgenfis*. *MOSE* *T. Staatsr. Th. XLI. p. 203.*

(y) *Reichshänd. Reg. Verf. B. 2. Cap. 2. p. 537.*

§. 30.

Ciuitatem *Frankfurtensem* esse *pure euangelicam*, et historia eius luculenter docet, et argumenta iuris quoque satis conuincunt. Quoad initia repurgationis sacrorum breuissime tantum notandum est, illam iamiam a. 1524. eo progressam esse, vt ciues a Senatu pastorem vrgerent capaciorem, et quum hic illorum postulationi amplius resistere consilii esse non censeret, ecclesias, in quibus sacra more euangelicorum celebrarentur, concessit (2). Incrementa vero sequentis temporis ex eo, quum ciuitas a. 1530. Augustanam amplexa sit confessionem (a), et foederi Smalcaldico eodem anno inter euangelicos sancito accesserit, patet (b). Nec statum hunc religionis publicatio (c) constitutionis Caroli Vti, quae vulgo *Interim* audit, mutauit. Quinam vero fuerit status religionis tempore pacis religiosae; quatenam tum relatio euangelicorum erga catholicos; quum de historia huius temporis non satis constet, determinare non cupio. Maioris momenti quaestio est, quinam fuerit status *anni decretorii*. Fuisse eundem, perinde ac hodie, *pure euangelicum*, ex eo intelligi potest, quod omnia illi conformiter actu restituta fuerint, nec catholici iniuri suo, si quod habuissent, renunciaffe praesumi possint. Proferunt quidem

re-

(2) v. LERSNER *Chronika der freyen Reichs-Wahl- und Handelsstadt Frankfurt am Mayn.* (1706. f.) *Tb. I. B. 2. c. 5. p. 19.*

Tb. II. B. 2. c. 5. p. 12.

(a) *id. Tb. I. B. 2. c. 5. p. 21.*

(b) *id. Tb. I. B. 2. c. 4. p. 14.*

(c) *id. Tb. I. B. 2. c. 4. p. 15.*

recentissime exempla ciuium Francofurtensium religionis catholicae, qui initio seculi XVII. officia publica gesserint, sed tamen probationem, catholicum senatoriam anno 1624. gessisse dignitatem, nondum, vti par est, peregerunt, idque tantummodo nude asserere aui sunt (*d*). Nec eos iuuat, 1) Commissionem Caesaream a. 1616. duo subiecta catholica ex ciuibus senatui eligenti commendasse, cum hic eos quidem agnouerit eligibiles, sed tamen non receperit (*e*); vel 2) anno decretorio inter Patricios familiae *Limburgensis*, siue *Frauensteinensis* catholicos vixisse (*f*), quum Patriciatus non inuoluat munus publicum, sed capacitatem tantum hereditariam ad munera publica (*g*): vel 3) militiae praesenti tempore praefectum catholicum praeesse: vel 4) quod memoriam hominum nondum excedit, inter Capitaneos ciuicos etiam catholicum inuentum esse (*h*), cum hoc nemo prudens negaturus sit, confortes cuiuslibet religionis in imperio nostro receptae munerum publicorum capaces esse, sed ideo tamen non gaudent iure quaesito ad officium, quod arbitrio relictum est Ciuitatis mero. Reliqua argumenta, leuiora adhuc, quibus iam ab aliis satisfactum est, recensere superfedeo.

§. 31.

Rationes iuris vero, quibus probari potest status religionis *Patriae carissimae* pure euangelicus, duplicis sunt generis. Con-

(*d*) saepe *al.* Autor *des Anhangs zu Mosers Reichsstädte. Reg. Verf.* N. 12. §. 6. p. 147.

(*e*) *id.* l. c. p. 148.

(*f*) *id.* p. 149. §. 10. 11.

(*g*) *cir.* Illustr. de SELCHOW *Elementa iuris Germanici* §. 307.

(*h*) *Anhang zu Mosers Reichsstädte. R. V.* p. ead.

cernunt sc. I) *Subiectum*, quod constituit ciuitatem. Hoc vero in Ciuitatibus Imperii *Senatum* et *ciues esse*, supra ampliori absoluti disputatione. Etiam illud iam explicui, ad id, vt ciuitas sit pura, requiri *Senatum* et *ciues*, saltem hos quoad maximam partem, vni addictos religioni. Quod vero de Ciuitate *Francofurtensi* recte dicitur. Anno enim decretorio nullus catholicorum dignitatem participauit senatoriam (§. 31.), et ciues quoad maximam partem fuere euangelicae religionis confessores. Eligibilitatem, seu capacitatem in genere catholicis negare non cupio. Status religionis ciuitatum imperii determinatur etiam II) *per obiectum* siue exercitium religionis, quod *auctoritate publica* anno 1624. *introducendum fuit*. Si vero praeter Augustanae religionis exercitium nullum aliud a Magistratu, et ciuibus iuxta morem, et statuta cuiusque loci anno praedicto introductum fuerit, ciuitas ad pure euangelicas referri iubetur in Art. Vti §pho 29, I. P. O. In Ciuitate vero Francofurtensi anno decretorio nullum aliud praeter A. C. exercitium *introducendum fuisse*, ex eius historia quidem non omnino patet. Sed tamen, quae tum regiminis et ciuium mens fuit, satis post annos VIII. illum secutos apparet. Anno nempe 1632. templa, quae deserta clerici catholici Moguntiam aufugientes reliquerunt, statim cultui euangelico a Magistratu applicata sunt. Nihil ergo Ciuitas Francofurtensis praetermisit, quod exercitio religionis Augustanae Confessionis promouendo inferuire possset (i). Nec statuti huic obstant capitula, et ecclesiae catholicae collegiatae, ac monasteriorum,

(i) Perill. PÜTTER *auerslesene Rechtsfälle*. P. IV. resp. 120. p. 736.

rum, quae ibi reperiuntur, cum iisdem ceu congregationibus ecclesiasticis in ciuitate constitutis ad propria sacra exercenda competat religionis exercitium; sed est eius indolis, vt secundum verba Art. V. §. 29:

„non attento, quod in iis ciuitatibus, in quibus praeter A. C. exercitium — in aliquibus capitulis, ecclesiasticis collegiatis, Monasteriis et Coenobiis ibidem sitis — catholicae religionis exercitium vigeat”

ciuitatem puram non reddat mixtam.

Olim quidem *ecclesia collegiata St. Bartholomaei* fuit *parochialis*, sed quum illa tempore reformationis sacris destinaretur euangelicis, id autem Carolus Vtus aegre tulerit, eam ab omni iurisdictione, et potestate seculari a. 1530. in Comitibus Augustanis exemit (1). Per hanc exemptionem eius nexus cum ciuitate omnis sublatus est, et ipsa parochialis esse cessauit. Nec iuuantur, qui allegant, Magistratum nostrum, et hodiernum cum Canonicis ad Fabricam huius ecclesiae administrandam concurrere (m), quum hic concursus vel in iure patronatus, vel alio titulo fundatus esse possit. Maioris momenti foret concursus ad hanc administrationem ciuium catholicorum, ex quo *aliquo modo* ad exercitium concludi posset. Quenam quoque sit eius conditio, id semper iure defenditur, ad ciues non spectare, et exinde ciues catholicos exercitio religionis suae proprio destitui. Nec vnquam Patria, qua Ciuitas Imperii in comitibus imperii, aliisque statuum conuentibus ad corpus catholicorum, sed semper ad

(1) diploma cfr. in LÜNIG'S *Reichs-Archiv* P. XIX. p. 1143.

(m) Auctor saepe citat. *des Anhängs zu Mosers, Reichsständ. Verfass.* p. 141. §. 11.

ad illud euangelicorum relata est, quod actis publicis probare ob euidenciam supersedeo. Hoc quidem de *Kauffbeura* ciuitate procul dubio mixta quoque dicendum; sed hoc tamen superest discrimen, ciuitatem *Francofurtensem*, et in relatione ad imperium, et in illa ad formulam internam mixturam religionis, quae *Kauffbeurae* ratione formulae *internae*, et si catholicos audis (n), etiam externae obtinet, respuere.

§. 32.

Dubiis maioribus decisio quaestionis, an ciuitas imperialis *Leutkircha* sit mixta, implicita inuenitur. Reformatione sacrorum hac in vrbe diu per Episcopum IOANNEM FABRVM impedita, a. 1546. demum studiis ciuium, in iisque praesertim textorum effectum est, vt remotis nonnullis, inprimis Consule, et fratre suo paracho, in templo *S. Martini* sacra ad normam A. C. celebrarentur. Postea quidem, anno sc. 1548. Carolus V. per Procancelarium suum ciuitati huic reditum ad religionem catholicam commendauit: sed quum votis non responderet successus, Imperator, reditus ecclesiae dictae, quos ciuitas ex pagis vicinis Austriacis ad Landuogteiam Suenicam spectantibus percepit, retineri, et parochis catholicis applicari iussit. Templum quoque ipsum, re euangelicorum hoc tempore in deterius ruente catholicis restituere coacti Leutkirchenses per biennium pastore et cul-

(n) Catholici sc. cum paritatis introductionem frustra quaesierint, id etiam obtinere tentarunt, vt saltem in comitiis imperii instar ciuitatis, in qua paritas obtinet, haberetur. Qui rem propius intelligere cupit, cfr. *MOSER T. Staatsr. T. XLX. p. 301. sqq.*

tū diuino euangelico destituti fuerunt (o). Post controuersias ciuitatem inter et Abbatem *Weingartensem*, qui ex iure cello Monasterii *Stams* in Comitatu Tyroli siti ius patronatus in Ecclesiam S. Martini praetendit, agitata tandem a. 1562. res eo transacta est (p) modo, vt ecclesiam cum omnibus iuribus Abbati Senatus et ciues Leutkirchenses cederent, ac ipsum eiusque parochianos quieto exercitio religionis catholicae in dicta ecclesia frui paterentur; Abbas vero contra promitteret, se *Consules*, *Senatum*, et *communitatem ciuitatis Leutkirchensis* in religione A. C. nullo modo turbaturum esse. Hac transactione Abbas ciuitatem Leutkircham iam iam agnouit *pure euangelicam*, vt ex ipsorum verborum tenore (q) perspicue intelligitur. Ex temporis vero sequentis historia in tantum constat, anno decretorio solum XVII. adfuisse ciues catholicos, neminem vero eorum participem fuisse dignitatis senatoriae. Contradictiones posterioris aevi, quas mouit Abbas Weingartensis, pax Westphalica omnes sustulit (r). In executione vero huius pacis Abbas restitutionem ciuium catholicorum Leutkirchensium petiit, quod commissio Caesarea quoque ciuitate vehementer contradicente, concessisse fertur (s). Renouata tandem est lis anno 1672.

coram

(o) cfr. SECKENDORFII *historia Lutheranismi* L. III. S. 37. §. 137. n. 12.

(p) MOSER *T. Staatsr. Th. XLI. p. 343.* exhibet transactionem ipsam.

(q) „zum 2. soll, und will der Herr Prälat von Weingarten, Burge-Meister Rath, und Gemeind der Stadt Leutkirch bey der Augspurgischen Confession, derselben Lehr — außserhalb der Pfarrkirchen — ungeret und ungeirrt bleiben lassen.“ MOSER all. I. c.

(r) all. SECKENDORF I. c.

(s) all. MOSER p. 346.

coram Commissione *Biberaci* constituta, eaque transactione in hunc modum sopita: vt Magistratui quidem saluum seruaretur arbitrium recipiendi ciues liberum, ita quidem, vt vniuersim inter ciues recipere teneretur Catholicos coniugatos numero XXV, neque tamen vltra hunc numerum, etiamsi familias ex his descendentes extingui contingeret, plures in posterum inter ciues adoptare adstringeretur. In fine transactionis additur clausula (t) generalis, qua omnes vtriusque partis praetensa desideria sublata esse transigentes declarant. Sublata erga quoque vna cum aliis catholicorum desideriis est illud, quo *communicationem dignitatum senatoriarum* aliorumque officiorum publicorum postularunt (u). Licet vero ciuitas obligationibus ex hac conuentione oriundis omnimode satisfecerit: nihilominus tamen instigante parochio catholico lis recrudit, in qua catholici petium de dignitatibus et officiis publicis secum communicandis repetierunt. Sed ciuitas coram commissione Caesarea huic desiderio iamdudum profligato contradixit, negauitque senatorem catholicum anno decretorio adfuisse, prout afferebant catholici (x). Catholici ve-

ro

(t) verbis:

„Und hiemit sollen beyde Partheyen und Interessenten in Güte von ein-
 „ander gesetzt und gänzlich verglichen, ALLES WAS VORGEGANGEN,
 „TOD UND AB SEYN, dagegen diese Vergleichung von Ihnen alleseits,
 „auch dero Erben, und Nachkommen vest und beständig gehalten
 „werden.“

(u) all. MOSER p. 354.

(x) statum suum pure euangelicum ciuitas satis deduxit in scripto eius nomine euulgato:

H

Acten-



ro litem ulterius prosequentes, specialius determinare coeperunt, quot officia publica sibi applicari optarent: quamquam in possessione eorum *tantum post annum decretorium fuisse* probare potuerint. Intercessit pro causa ciuitatis corpus euangelicorum apud Imperatorem (y). Licet vero de exitu litis documenta publica non extent, id tamen de statu hodierno constat, in hacce ciuitate *senatum integrum, et maximam ciuium partem* Augustanae addictos esse confessioni. Praeter rem igitur BÜSCHINGIUS senatum mixtum esse censuit (z).

§. 33.

Quae quum ita sint, facile negotio intelligitur, *ciuitatem hanc esse pure euangelicam*. Assertionis tamen meae corroborandae gratia characteres ciuitatis mixtae iam supra a me suppeditatos paucis applicabo, nec illos ad ciuitatem Leutkircham quadrare, simul sufficienter deducam. Non enim I) *Subiectum* ciuitatis huius tale est, quale ad ciuitatem mixtam desiderauim. *Senatus* scilicet, qui partem ciuitatis conficit, *integer* tam anno decretorio, quam hodie Augustanae addictus est confessioni, cuius doctrinam quoque *pars ciuium*

„*Altenmäßige facti species über der h. röm. Reichsstadt Leutkirch wohl-
hergebrachten statum pure euangelicum*”

quod adiunxit litteris ad corpus euangelicorum sub nro. I. Momenta praecipua inueniet lector in MOSERS *Reichsfama* Th. 3. p. 614. 199.

- (1) cuius litteras intercessionales de annis 1669. et 1671. exhibet v. SCHAV-ROTH *Sammlung der conclusorum des corporis euangelici*. T. II. p. 104.
(2) in *seiner Erdbeschreibung* T. III. p. 1568. ubi ita: „*der Magistrat ist MEISTENS euangelisch*” — quem errorem et celeb. MOSER errasse videtur in *Reichsstadt. Reg. Verf. B. II. p. 542.*

ciuium adoptat *maxima*, quod eo determinatius defendi potest, quum numerus *ciuium* catholicorum ad XXV. familias transactione restrictus fuerit. Nec hae XXV. familiae *ciuium* catholicae II) *exercitio religionis* suae *proprio* gaudent. Sacra quidem sua in ecclesia *St. Martini* celebrant, attamen ea non principaliter ad *ciues*, sed ad Abbatem *Weingartensem*, et subditos parochiales spectat. Applicationem ergo admittit clausula I. P. O. Art. V. §. 29. verbis:

“non attento &c.”

quum ecclesia *S. Martini* sub voce *ecclesiae*, quae ad alios, quam *ciues* spectet, omnino sit intelligenda. *Eligibilitatem* *ciuium* catholicorum suorum ciuitas nunquam abnuit, id tamen ius ex anno decretorio quaesitum tueri intendit, quod in conferendis dignitatibus ac officiis publicis catholicorum rationem habere ex lege non obligetur (*). Etiam quoad *relationem ad imperii formulam* ciuitas, qua euangelica, huc vsque in *possessione* fuit, quod licet solum rem non conficiat, tamen vna cum aliis argumentis ad idem confirmandum confert.

§. 34.

Plura quidem, quae hinc inde obiecta sunt dubia, superesse ipse satis intelligo, in quibus exponendis resoluendisque versari temporis angustia impediatur, cum et scopus huius libelli amplio rem non patitur disceptationem. Quae vero ampliori adhuc digna sunt inquisitione, alia occasione proferre non deero.

(*) MOSER l. c. p. 301. ciuitas in petito pro restitutione in integrum notauit:

“*Eligibilitatem* disputare man denen *Cartholischen* nicht, und zur necessitat sie zu wählen, lasse sich die Stadt nicht verbinden.”

Theses.

T h e s e s .

I.

In iure aequiparantur, siue paria iudicantur:

- 1) *Vtrum nullus detur fideiussor, an vero detur idoneus;*
- 2) *Generaliter renunciare beneficio, et plane non renunciare;*
- 3) *Renunciatio in instrumento publico facta, et renunciatio iurata.*

II.

Frater exheredatus se gratum fuisse probare debet.

III.

Infantiae proximi nec naturaliter, nec ciuilitur obligantur.

IV.

Distinctio iurium circa sacra in maiestatica, et collegialia fundata est.

V.

Collegium Ciuitatense sine iure a re et correlatione aliorum superiorum collegiorum excluditur.

ULB Halle

3

004 588 452



nur 1 Stück

f







1777, 8 XLIII. 8

PERICVLVM NOTIONIS
CIVITATIS IMPERII,
RATIONE RELIGIONIS
MIXTAE.

INAUGVRALIS SPECIMINIS LOCO

SVB

AVSPICIIS REGIIS

DECRETO ET AVCTORITATE ILLVSTRIS
ICTORVM ORDINIS

PRO

SVMMIS IN VTROQVE IVRE HONORIBVS RITE CAPESSENDIS

AD DIEM XIX. IVNII MDCLXXVII.

DEFENDET

GOTTLIEB SCHMID

MOENO-FRANCOFVRTENSIS.

GOETTINGAE

LITTERIS FRIDER. ANDR. ROSENVSCH.

